Luis [illegible]ues en Latin

upna

+

Este libro es de [illegible]
Martin [illegible]

Non inuisus [illegible]

upna

# COLLOQUIA
# IOANNIS LUDOVICI
# VIVES.

upna Universidad Pública de Navarra

PERDOCTA

# IOANNIS LUDOVICI VIVES

COLLOQUIA, QUIBUS, extra plura ad iuventutem illuſtrandam, loquendi latinè reperies facilitatem.

PRODEUNT NUNC DENUO *locupletiora vocum obſcurium Hiſpanico indice, notiſque illuſtrata, curante* D. M. A. Domech.

DICATUR

Illmo. D. D. GASPARI MIRANDA, & Argaiz Epiſcopo Pampilonenſi, Regioque Conſiliario, &c.



SUPERIORUM PERMISSU.

Pompelone : Apud HÆREDES de *Martinez*, Anno 1761.

# ILLUSTRISSIMO

D. D. GASPARI DE Miranda, & Argaiz Epiſcopo Pampilonenſi, Regioque Conſiliario, &c,

M*Iranda mirabar,* ILLUSTRISSIME PRINCEPS, *dum typis* Colloquia hæc *manda-*



upna

*re conabar*, *illaque dicare*; *ſtatimque*, *licet miratus*, Miranda *proceſsit obviam*, *quia omnia in* Te *miranda*; *nomen namque* Tuum *res miranda*, *quia Regis*: *primum cognomen magis miranda*, *natura enim ſua* Miranda: *ultimum verò maximè miranda*, *quia ad illud dicendum*, *totum alphabetum claudere fuit opus*. *In* Te, ILLUSTRIS-

SIME

upna

SIME PRINCEPS, *poſitivè, comparativè, & ſuperlativè vidimus* Miranda, *aſpeximuſque alphabetum veſtram ad ſtirpem aperiendam litteris exhauſtum, cum ad maiora oſtendenda ſemper abundaſſet. Quæ ergo maxima extra* Miranda? *Dicant opera* Tua, *mea enim deſunt verba: ſolem* Te *ab ortu conſideranti; viis* Tuis *luminare maius*

*conſpicienti*; Te *deni-que Patrem lucis ad occaſum notanti. Quæ dies ſtemate* Tuo *cla-rior? Quis Paladis, Minervæque curriculo maiora* Te *emiſit ra-dia? Oratoria enim non ceſsiſti compatrio-tæ* Tuo, *olim Romanæ eloquentiæ Principi: ex-perientia magiſtra hoc aſſerere queo; cum enim aliquando (veſtra dig-natione) me illa tenta-re voluiſſes, clariorem*

*mo-*

*modum ; ſuperioremque facundam non audiſſe fateor. Quis plus* Te *Iuriſprudentia luxit? Teſtimonium perhibeat ſcientiarum Mater Salmatina Civitas, dum Cœleſti toga ſignatum in maiori (vulgò de Cuenca)* Te *Magiſtrum mirabatur. Toletum teſtis, dum, parato certamine Doctoratus in ſua perilluſtri Eccleſia Hiſpaniarum Primate, inter*

*ſapientiſsimos ſapientiorem* Te *faſſa, ſtupefacta eſt; & merito, etenim* veniſti, vidiſti, & viciſti. *His revera aliiſque commotus Rex noſter magnus Philippus V.* (*cuius anima vitam poſsideat æternam.*) Te *Epiſcopum Pampilonenſem creavit, quo illuſtriſsimo munere ita micas, ut radia charitatis* Tuæ *omnes pauperes illuminent; fulgura iuſtitiæ*

*etiam*

*etiam valdè cœcos videre faciant; tantis denique miris ſigillum parat magna tuarum altitudo virtutum:* ab ortu ergo uſque ad occaſum *luces. Eximias magnorum virorum tabulas in æterno* Memoriæ *Templo adpenſas avidis oculis,* ILLUSTRISSIME PRINCEPS, *expecta, quam in rem, qui* Tibi *libentiſsimè inſervit, & inſerviet votis nequa-*

*quam parco, utpote, & omnibus* Tuis *felicem eventum impetres à Deo optimo maximo, qui* Tuas *curas benignus ſecundet. Dabam Pompelone Kalendis Februarii anno* 1761.

V. O. P. Humillimus C.

*Michael Antonius Domech.*

D.

upna

# D. M. A. DOMECH

## Lectori.

AMice, totius eruditionis theſaurum ſi optas, Latinæ operam nava linguæ; ingenia enim præſtantia diſciplinas omnes Latino ſermone conſcripſerunt, ad quas quis perveniet, niſi per illius linguæ cognitionem?

Pro huius facili captu uſum loquendi in ſcholis iudicavi; ſed habitaculum hunc quis aſcendet ſine ſcalis? & quæ hæc, niſi *Colloquia Vives*? Pueri ne ſcientias ſapiunt, artes norunt? nectiquam: ergo nomina, & verba rerum pueris obiarum, ut prima in ſenſu, ipſis eſſe debent priora in intellectu: ideoque ſtudioſus Præceptor Librum hunc, tanquam *Vade mecum*, pueris commendare debent. *Credis hoc? Utique Domine ego credidi*, cum præſumptuoſos, variis titulis decoratos, minime colloquia formare poſ-

poſſe notarim; mortuos practicè vidi, quos vivos ſpeculativè non novi. Tu videris. Vale. Dabam Pompelone Kalendis Februarii anni 1761.

SUR-

# SURRECTIO
# MATUTINA.

*Beatrix puella, Emanuel, Euſebius.*

IEſus Chriſtus exſuſcitet vos à ſomno vitiorum. Heus Pueri, eſtiſne hodie evigilaturi? *Euſeb.* Neſcio quid incidit mihi in oculos, ita videor eos habere plenos arenæ. *Bea.* Hæc eſt tua prima cantio matutina, & bene vetus: aperiam feneſtras haſce ambas, ligneam, & vitream, ut feriat clarum mane veſtros amborum oculos. Surgite, ſurgite. *Euſeb.* Tam multo mane? *Beat.* Propior eſt meridies, quam aurora. Vis tu, Emanuel, recentem ſubuculam? 1 *Ema.*

Nihil nunc eſt neceſſe, hæc eſt ſatis munda, cras ſumam alteram. Cedo mihi thoracem. *Bea.* Quem? ſimplum, an diploidem? 2 *Eman.* Quem voles: mea nihil refert. Porrige huc ſimplum, ut, ſi ſim hodie luſurus pila, minus graver. *Beat.* Hic eſt ſemper tuus mos. Prius de luſu cogitas, quam de ſchola. *Ema.* Quid tu dicis, inepta? & ſchola ipſa vocatur ludus. *Beat.* Ego non intelligo veſtras grammaticationes, & ſophiſmata. *Ema.* Da ligulas 3 adſtrictorias coriaceas. *Bea.* Fractæ ſunt: accipe ſericeas, & ſic iuſſit tuus pædagogus. Quid iam? Vin, femoralia, & tibialia, quoniam eſt æſtus? *Eman.* Minime verò, dato feminicruralia; 4. quæſo conſtringe me. *Beat* Quid tu habes brachia fenea, aut butyracea? *Eman.* Non, ſed filo tenui conſuta; hui, qualia dediſti mihi adſtrigmenta exarmata, 5 & lacera. *Beat.* Memineris te heri alea perdidiſſe integra. *Eman.* Qui ſcis? *Beat.* Ego per rimulam oſtii obſervabam te cum Guzmanulo ludentem. *Em.* Amabo ne id pædagogus reſciat. *Be.* Immo ego narrabo quum pri-

mum appellaris me deformem, ut ſoles. *Em.* Quid ſi rapacem? *Be.* Quidvis modo non deformem. *Ema.* Cedo calceos. *Be.* Utros? longo obſtragulo,
6 an brevi? *Em.* Tectos propter lutum. *Be.* Propter lutum aridum, quod alio nomine vocatur pulvis. Sed benefacis. Nam in apertis cingulum eſt fractum, & fibula amiſſa. *Em.* Indue rogo. *Be.* Tu ipſe facito. *Em.* Non poſſum me flectere. *Be.* Tu quidem facile te curvares, deſidia verò tua difficile, an deglutiſti enſem, ut circulator ille nudiuſquartus? Adeone es iam delicatus? Quid facies grandior? *Em.* Adſtringe nodo laxo gemino, quod eſt elegantius. *Be.* Nil minus, ſolveretur nodus illico, & decideret tibi calceus è pedibus: præſtat vel gemino adſtricto, vel adſtricto, & laxo. Sume tunicam manicatam, & cingulum textile. *Em.* Minime id quidem, ſed coriaceum venatorium. *Be.* Mater vetat, vis tu omnia arbitratu tuo facere? & tu heri fregiſti aciculam 7 fibulæ. *Em.* Non poteram alioqui exfibulare. Da ergo illud puniceum ex lino. *Be.* Cape, cinge te

cin-

cinctu Galico 8 : pecte caput prius radiis rarioribus , tum denſioribus: apta pileum vertici , ne in occipicium reiicias more tuo , aut in frontem , & oculos. *Em.* Prodeamus iam tandem. *Be.* Quid ? illotis manibus, & facie ? *Em.* Iſta tua tam moleſta curioſitate taurum iam enecaſſes, nedum hominem , videris mihi non puerum veſtire , ſed ſponſam. *Be.* Euſebi ; affert pollubrum 9 cum urceolo 10 : funde altius : ſtilla potius ex epiſtomio 11, quam profundas, elue ſordes iſtas ex nodis digitorum: ablue os , & gargariza : frica bene cilia , & palpebras : tum glandulas ſub auriculis duritèr , cape linteum, exterge te. Deum immortalem , de omnibus es ſigillatim admonendus, nihil ne ipſe tua ſponte faceres ? *Em.* Vah, nimium es importuna , & odioſa. *Be.* Et tu nimium ſcitus puer, ac formoſulus : deoſculare me , flecte iam genua , & ante hanc Salvatoris noſtri imaginem recita precationem dominicam , & preces alias, ut habes de more , antequam pedes ponas extra cubiculum. Vide, mi Ema-

Emanuel, uti de re nulla alia cogites, dum oras. Mane paulisper, appende ſudariolum hoc de zona, ad nares emungendas, & purgandas. *Em.* Sum ne ſatis ad arbitrium tuum compoſitus? *Be.* Es. *Em.* Ad meum minime, quoniam iam tandem ad tuum, auſim facere ſponſionem. 12, me horam unam veſtiendo conſumpſiſſe. *Be.* Quid ſi vel duas? Quo eras alioqui iturus? Quid acturus? Foſſurus credo, aut araturus. *Em.* Quaſi deſit, quod agam. *Be.* O magnum virum, vehementer in nihil agendo occupatum. *Em.* Non hinc abis, cavillatrix? Aut ego te abigam hoc calceo, aut calanticam 13 tibi detraham de capite.

---

1 *Subucula, eſt virilis camiſia.* 2 *Diplois, de quavis re duplicata dicitur.* 3 *Ligulæ adſtrictoriæ, quibus veſtimenta ſtringuntur.* 4 *Feminicruralia, novum pro caligis.* 5 *Exarmata, ſine ferris.* 6 *Obſtragulum, eſt corium calcei ſuperius.* 7 *Aciculam fibulæ, id quo corrigia affigitur.* 8 *Cinctu Galico, quomodo ſolent Galli ſe*

*ſe cingere.* 9 *Pollubrum, id eſt vas, ex quo aqua funditur.* 10 *Urceolus, patina in quam funditur.* 11 *Epiſtomium, eſt naſus gutti.* 12 *Facere ſponſionem, deponere, certare pretio.* 13 *Calantica, indumentum eſt capi-s muliebre.*

## PRIMA SALUTATIO.

*Puer, Mater, Pater.*

SAlvus ſis, mi pater, ſalve mea matercula: precor vobis felicem hunc diem, germanuli: propitium vobis opto Chriſtum ſororculæ. *Pa.* Mi fili, ſoſpitet te Deus, evehat ad ingentes virtutes. *Mat.* Servet te Chriſtus, mea lux, quid agis mea dulcedo? qui vales? Quomodo nocte hac quieviſti? *Puer.* Recte valeo, & placide dormivi. *Mat.* Chriſto gratias: proprium hoc velit tibi eſſe. *Pu.* Ad mediam tamen noctem excitatus ſum è dolore capitis. *Mat.* Me perditam, & miſerrimam, quid narras? qua parte capitis? *Pu.* Ad brechma 1. *Ma.* Quamdiu? *Pu.* Vix octa-

va

va parte horæ : poſtea redormii, nec ſenſi amplius. *Mat.* Reſpiravi, nam exanimaras me. *Pu.* Bene ſit tibi, Iſabellula, para michi ientaculum. Ruſcio, Ruſcio, huc, huc, canicule feſtiviſsime : en ut cauda adulatur, ut ſe in poſteriores pedes erigit, quomodo habes? Quomodo vales? Heus tu, adfert panis bucceam unam, aut alteram, quam ei demus : videbis luſus ſcitiſsimos. Non eduris? Nihil ne ediſti hodie? Profecto plus eſt in cane iſto intelligentiæ, quam in illo mulione craſo. *Pa.* Tulliole mi, lubet mihi tecum pauliſper confabulari. *Pa.* Quid, mi pater? Nam nihil mihi accidere poteſt ſuavius, quam te audire. *Pa.* Hic tuus Ruſcio eſt bellua, an homo? *Pu.* Bellua, ut credo. *Pa.* Quid tu habes, cur ſis homo, non ille? tu edis, bibis, dormis, ambulas, curſitas, luſitas: hæc ille omnia. *Pu.* Atqui ego ſum homo. *Pa.* Quomodo id cognoſcis? quid tu nunc habes plus, quam canis? ſed hoc intereſt, quod ille non poteſt homo fieri : tu potes : ſi vis. *Pu.* Obſecro, mi pater, effice id primo

quo-

quoquo tempore. *Pa.* Fiet, ſi eas, quo eunt belluæ, & redeunt homines. *Pu.* Ibo pater, multo libentiſſime, ſed ubi id eſt? *Pa.* In ludo litterario. *Pu.* Nulla eſt in me ad rem tantam mora. *Pa.* Nec in me. Iſabellula, audin? Dà huic ientaculum in ciſtella. *Iſab.* Ecquidnam? *Pa.* Fruſtum panis butyro illitum, vel ficos aridas, aut uvas paſſas pro obſonio, ſed inſolatas 2: nam alteræ illæ viſcoſæ inficiunt puerorum digitos, & veſtes, niſi malit ceraſa aliquot, vel pruna aurea, & oblonga, inſere brachiolum ciſtulæ, ne ſcidat.

1 *Brechma, eſt pars anterior capitis.* 2 *Ad Solem exicatas.*

## DEDUCTIO AD LUDUM.

*Pater, Prætextatus, Philoponus ludimagiſter.*

SIgna te ſacro ſigno Crucis. Duc nos, Jeſu-Chriſte ſapientiſſime, dementes, potentiſsime, imbecilles. Quæ-

Quæſo, mi propinque, tu, qui es verſatus in ſtudiis litterarum, è quis eſt in hoc gymnaſio optimus inſtitutor puerorum? *Pr.* Doctiſsimus quidem Varro, ſed diligentiſsimus, & vir probiſsimus Philoponus, nec eruditionis aſpernandæ. Habet Varro ſcholam frecuentiſsimam, & domi numeroſum gregem contubernalium: Philoponus non videtur delectari turba, paucioribus eſt contentus. *Pat.* Hunc malo. Ellum in porticu gymnaſii inambulantem. Fili, hoc eſt formatorium, & quaſi officina hominum, & hic artifex formandi. Adſit tibi Chriſtus magiſter. Aperi caput, puer, & flecte poplitem dextrum ſicuti es edoctus: ſta iam rectus. *Phi.* Proſperus ſit nobis omnibus tuus adventus: ecquid rei eſt? *Pa.* Hunc filiolum meum ad te adduco, ut ex bellua hominem facias. *Phi.* Dabo in eam rem operam ſedulam: fiet; revertetur ex pecude homo, ex nequam frugi, & bonus: id vero ne dubitaveris. *Pa.* Quanti doces? *Phi.* Si puer bene proficiat, vili: ſin parum, caro. *Pa.* Acute hoc dicis, &

ſa-

ſapienter, ut omnia. Partiamus inter nos igitur hanc curam, tu ut ſedulo inſtituas, ego ut benigne compenſem tuam operam.

## EUNTES AD LUDUM Litterarium.

*Cirratus, Prætextatus, Titivillitium, Tereſula, Vetula, & Oluſcularia.*

VIdetur tibi tempus eundi ad ludum? *Pr.* Plane tempus eſt, ut eamus. *Cir.* Non ſatis teneo viam. Credo eſſe in illo vico proximo. *Pr.* Quoties illuc itaſti? *Cir.* Ter, aut quater. *Pr.* Quando cæpiſti eo itare? *Cir.* Nudius tertius, ut puto, aut quartus. *Pr.* Quid igitur, an non id ſatis eſt ad noſcendam viam? *Cir.* Non, etiamſi eam centies. *Pr.* Ego vero, vel ſi ſemel, nunquam deinceps aberrarem. Sed tu vadis invitus, & ambulas luſitans, nec viam aſpicis, nec domos, nec ulla ſigna, quæ te poſtea admoneant, qua ſit flectendum, quæ via tenenda. Ego hæc om-

omnia obſervo diligentèr, quia lubens eo. *Cir.* Puer hic habitat in proximo ſcholæ. Heus tu, Titivillitium, qua itur ad ædes tuas? *Tit.* Quid vis? Venis à matre tua? Mater mea non eſt domi, ac ne ſoror quidem: ambæ ſunt profectæ ad D. Annæ. *Cir.* Quid illic agitur? *Tit.* Heri fuerunt encænia: hodie invitavit eas mulier quædam caſearia, ad edendum lac coagulatum. *Cir.* Et tu cur non es unà profectus? *Tit.* Relictus ſum hic, ut ſervem domi: frater meus puerulus abductus eſt ab eis illuc, ſed pollicitæ ſunt mihi, ſe de reliquiis allaturas partes in quaſillo. *Cir.* Quin tu igitur manes domi? *Tit.* Continuo revertar, nunc prodeo luſum talis, cum filio hujus cerdonis: vultis & vos venire? *Cir.* Eamus, ſodes. *Pr.* Minime vero id quidem. *Cir.* Quidni? *Pr.* Ne vapulemus. *Cir.* Vah, non memineram. *Tit.* Non vapulabitis. *Cir.* Qui ſcis? *Tit.* Quia magiſter veſter perdidit heri ferulam. *Cir.* Hem, quomodo noſti? *Tit.* Hodie de domo noſtra audiebamus eius vociferationem, quæ-

rentis ferulam *Cir.* Amabo, ludamus parumper. *Pr.* Tu ludito, ſi vis: ego ibo ſolus. *Cir.* Ne me apud præceptorem quæſo deferas: dic me detineri domi à patre. *Pr.* Vis mentiri me? *Cir.* Quidni, propter ſodalem? *Pr.* Quia in templo audivi concionatorem, affirmantem, mendaces eſſe filios diaboli, veraces Dei. *Cir.* Diaboli vero? Apage. *Per ſignum ſantæ Crucis, ab inimicis noſtris libera nos, Deus noſter.* *Pr.* Non potes liberari, ſi ludas, cum eſt diſcendum. *Cir.* Eamus, tu valeto. *Tit.* Hui, pueri iſti non audent pauliſper ludere, alioqui cædendi. *Pr.* Ille eſt puer perditus, & evadet ſceleroſus vir. Sed, quomodo elapſus eſt? nobis nec rogavimus, qua eſſet via ad ludum: revocemus. *Cir.* Abeat in malam rem: nolo ſit mihi rurſum incitamento ad luſum, percunctabimur ab hac vetula. Mater, noſti ne, qua itur ad ſcholam Philoponi. *Vetul.* Iuxta eam ſcholam habitavi ego ſex annis: è regione peperi filium natu maximum, & filias duas, tranſite plateam hanc Villæ-raſæ, inde eſt angiportus, tum pla-

platea Domini Veterani : hinc flec-
tite ad dexteram , tum ad ſiniſtram,
ibi percuntamini , non procul abeſt
ſchola. *Cir.* Vah, non poterimus om-
nia retinere. *Vet.* Tereſuia , deduc
iſtos ad ludum Philoponi : nam ma-
ter huius eſt , quæ dabat nobis li-
num pectendum , & nendum. *Ter.*
Quid malum Philoponi ? Quid ho-
minis eſt hic Philoponus ? quaſi
ego norim : loquerilne de illo , qui
reſuit calceos iuxta cauponam viri-
dem ? an de præcone in Vico gy-
gantis , qui alit equos meritorios?
*Vet.* Sat ſcio , nunquam tu noſti ea,
quæ ſunt opus , ſed ea , quæ ad rem
nihil faciunt , inertiſsima. Philopo-
nus eſt ludimagiſter ille ſenex , pro-
cerus , luſcioſus , è conſpectu ædium,
quas olim habitabimus. *Ter.* Ah , iam
redit in memoriam. *Vet.* In reditu
tranſi per macellum , & acetarium,
& raphanum , & ceraſa : cape fiſcel-
lam. *Cir.* Duc nos etiam per forum
olitorium. *Ter.* Hac ibitis brevius.
*Cir.* Nolumus iſtac ire. *Ter.* Qui ſic?
*Cir.* Quia momordit me illic canis ex
domo piſtoris , quin , & volumus

te commitari ad forum. *Ter.* Revertens, faciam iter per macellum: nam procul adhuc abſumus: & emam, quæ ſum iuſſa, poſtquam reliquero vos in ludo. *Cir.* Nos cupimus videre quanti emas ceraſa. *Ter.* Nummis ſenis emimus in libras ſingulas; ſed quid ad te? *Cir.* Quia ſoror iuſsit me hodie mane ſciſcitari, & eſt illic vetula quædam oluſcularia; de qua ſi emeris, ſcio eam, & vendituram minoris, quam alias, & daturam nobis, vel ceraſa aliqua, vel tyrſum lactucæ, nam filia ejus miniſtravit aliquando matri, & ſorori meæ. *Ter.* Ne diſpendium hoc viæ conſtet vobis flagris aliquot. *Cir.* Minime vero: nam ſatis veniemus tempori. *Ter.* Eamus: tantulum deambulavero, quæ miſera conſumor ſedendo domi totos dies. *Præt.* Quid facis? an tantum ſedes otioſa? *Ter.* Otioſa verò? minime certe id quidem: neo, conglebo, glomero, texo: putas vetulam noſtram paſſuram, ut otier? feſtos dies execratur, in quibus eſt ceſſandum. *Præt.* Feſti dies, num non ſunt ſacri? quomodo ergo

go execratur illa rem ſacram? vult ne ipſa execrari, quod eſt ſacrum conſtitutum? *Ter.* Cenſetis, me didiciſſe geometriam, ut hæc vobis poſsim ediſſerere? *Cir.* Quid rei eſt geometria? *Ter.* Ego neſcio: nos habebamus vicinam, quæ vocabatur Geometria: hæc ſemper, vel erat ipſa in templo cum presbyteris, vel preſbyteri domi eius cum illa: itaque erat, ut ferebant, ſapientiſsima. Sed ventum eſt in forum olitorium: ubi eſt tandem veſtra vetula? *Cir.* Id ego circunſpiciebam. Sed eme ab hac ea lege, ut aliquid det nobis corollarii. Heus amita: puella hæc emet de te cerafa, ſi aliquot nobis donaveris. *Oluſ.* Nihil mihi donatur, omnia venduntur. *Cir.* Nec ſordes iſtæ donantur tibi, quas habes in manibus, & collo? *Oluſ.* Niſi procul hinc abis, impudenticulæ, has ſordes ſentient genæ tuæ. *Cir.* Quomodo ſentient meæ genæ, cum tu habeas in tuis manibus? *Oluſ.* Redde ceraſa, furuncule. *Cir.* Sumo exemplum, nam volo emere. *Oluſ.* Eme igitur. *Cir.* Si placuerint quanti? *Oluſ.* Nummo

libram. *Cir.* Ah, acerba ſunt, ut anus venefica vendis hic populo ceraſa ſtrangulatoria. *Ter.* Abeamus hinc ad ludum, nam vos argutiis veſtris intricaretis me, & detineretis diu. Iam, ut puto, mea vetula furit domi, ob moram meam. Hoc eſt oſtium, pulſate.

## LECTIO.

*Præceptor, Luſius, Æſchines pueri, Cotta.*

PRæc. Cape tabellam abecedariam manu ſiniſtra, & radium hunc, quo indices ſingula elementa : ſta rectus, pileum pone ſub axilla, audi attentiſsime, quemadmodum ego has litteras nominabo : ſpecta diligentèr, quo geſtu oris. Vide, ut eodem prorſum modo reddas, cum repoſcam. Sis mecum. Iam audiſti. Sequere nunc me ſigillatim præeuntem. Tenes probe? *Luſ.* Videor mihi ſic ſatis. *Præ.* Unaquæque iſtarum vocatur littera, ex his quinque ſunt voca-

ca-

cales; A, E, I, O, U, quæ ſunt ſunt in vocabulo Hiſpano *Ovcia*, quæ eſt ovis: memineris huius verbi. Hæc cum una qualibet, vel pluribus aliarum ſyllabam efficit, ſine vocali non fit ſyllaba, & vocalis ipſa non raro eſt ſyllaba. Itaque aliæ omnes conſonantes nominantur; quia per ſe nihil ſonant, niſi adhibita vocali: habent enim ſonum quemdam imperfectum, & mancum, b, c, d, g, quæ ſine e parum ſonant. Iam ex ſyllabis fiunt voces, ſeu verba: ex his ſermo, quo belluæ omnes carent, nec tu à bellua differres, ni probe ſermonem diſcas. Evigila, & nava ſedulam operam. Ito, ſede cum tuis condiſcipulis, & ediſce quæ præſcripſi. *Luſ.* Non ludimus hodie? *Aeſc.* Non, nam dies eſt operarius 1. Eho, tu veniſſe te huc arbitraris luſum? Non eſt hic ludendi locus, ſed ſtudendi. *Luſ.* Cur ergo ludus nominatur? *Aeſc.* Nominatur quidem ludus, ſed litterarius: quia litteris eſt hic ludendum, alibi pila, trocho talis, & Græce audivi appellari ſcholam, quaſi otium: quod verum ſit

otium, & animi quies ætatem in ſtudiis agere. Sed ediſcamus, quæ iniunxit inſtitutor, ſummiſſo murmure, ne ab aliis ſimus impedimento. *Luſ.* Avunculus meus, qui aliquando dedit operam litteris Bononiæ, docuit me melius memoriæ infigi, quæ velis, ſi altius pronuncies, idque confirmari auctoritate, neſcio cuius Plinii. *Aeſc.* Si quis ita velit ediſcere ſuas formulas, in hortos ſecedat, aut in cœmiterium templi: ibi clamet, licet quoad excitet mortuos. *Cot.* Pueri, hoccine eſt ediſcere? garrire, iurgari: agite, convenite ad præceptorem omnes iuſſu eius.

1 *Operarius, quo eſt operandum.* Cato.

## REDITUS DOMUM.
### & luſus pueriles.

*Tulliolus, Corneliola, Scipio, Lentulus, Puella, Puer.*

COr. Proſpere redieris, Tuliole: libet pauliſper luſitare? *Tul.* Nondum

dum ſtatim. *Cor.* Quid habes negotii? *Tul.* Recolere, quæ magiſter, ut memoriæ commendarem, mandavit. *Cor.* Quæ tandem? *Tul.* Aſpice. *Cor.* Hui, quæ notæ ſunt iſtæ? credo eſſe formicas depictas: mea mater, quot formicas, & culices affert Tulliolus, pictos in tabella? *Tul.* Tace, inſana, ſunt litteræ. *Cor.* Qui vocatur hæc prima? *Tul* A. *Cor.* Cur prima eſt magis A, quam hæc altera? *Mat.* Cur tu es magis Corneliola, quam Tulliolus? *Cor.* Quia ſic vocor. *Mat.* Et illæ litteræ ad eundem modum. Sed ito iam luſum, mi fili. *Tu.* Hic pono tabellam meam, & radium, ſi quis attigerit, vapulabit à matre: non ne, mea matercula? *Mat.* Etiam, mi fili. *Tul.* Scipio, Lentule, adeſte luſuri. *Sci.* Quam luſionem? *Tul.* Nucibus ludemus ad coniectum ſcrobiculi. *Len.* Non habeo nuces, niſi paucas: & eas quaſſas, ac putres. *Sci.* Ludamus putaminibus nucum. *Tul.* Quid mihi ea proderunt, etiamſi lucrer viginti, nullus eſt intus nucleus, quem edam. *Sci.* Ego vero, dum ludo,

non comedo, ſi quid volo comedere, matrem adeo. Iſta nucum putamina ſunt apta ad extruendas formicis ædiculas. *Len.* Ludamus par impar aciculis. *Tul.* Adfer potius talos. *Sci.* Adfer, Lentule. *Len.* Ecce vobis tali. *Tul.* Quam ſunt pulverulenti, & immundi, nec ſatis purgati à carne, & politi. Iacias. *Sc.* Pro primatu ludendi 1. *Tul.* Ego ſum primus, quid ludimus? *Sci.* Adſtrigmenta. *Len.* Ego nolo mea perdere; nam domi cæderer à pædagogo. *Tul.* Quid vis ergo perdere, ſi vinceris? *Lent.* Talitra. 2 *Mat.* Quæ eſt iſta humi abiecto? deteritis veſtes omnes, & calceos, tum loco immundiſsimo; quin verritis prius pavimentum, & ſedetis? adfer ſcopas. *Tul.* Quæ erit igitur ſponſio? *Sci.* Aciculæ in ſingula puncta. *Tul.* Immo binæ. *Lent.* Ego non habeo aciculas: deponam, ſi vultis, pedunculos ceraſorum pro aciculis. *Tul.* Apage, ludamus ego, & tu Scipio. *Sci.* Ego autem ſorti meas aciculas credere. *Tul.* Da mihi talos in manum, ut iaciam primus: en vici ſponſionem. *Sci.* Minime

nime

nime vero, nam non ludebas ſerio. *Tul.* Quis unquam ludit ſerio? c… dicas album nigrum. *Sci.* Cave… re quantum voles, non auferes … do aciculas. *Tul.* Age, remitto tibi hanc manum, ludamus iam pro præmio: adſit dextera ſors. *Sci.* Victus es. *Tul.* Auferto. *Len.* Cedo talos. *Tul.* In hunc iactum omnia. *Len.* Non recuſo. *Puel.* Ad cœnam pueri, nunquam ne facturi eſtis ludendi finem? *Tul.* Nunc incipimus, iſta iam de fine loquitur. *Cor.* Ludi hius iam tædet: ludamus calculis 3 diſcoloribus. *Tul.* Pinge tu nobis urbes in hoc latere carbone, aut gypſo. *Sci.* Ego malo cœnare, quam ludere: & diſcedo, aciculis meis omnibus exutus fraude veſtra. *Tul.* Memineris te heri Cethegum ſpoliaſſe.



*Nullus ubique poteſt felici ludere deſtra.* 4

*Co.* Affert, quæſo, folia luſoria, quæ invenies ſub abaco ad ſiniſtram. *Sci.* Alias id quidem, nunc non vacat; nam, ſi diutius morer, timeo ne pædago-

gus meus iratus incœnem me mittat cubitum. Tu, Corneliola, habeto nobis parata folia iſtæc in craſtinum ſub horam veſperam. *Cor.* Si licebit nobis per matrem, ſatius eſſet nunc ludere, dum ſinimur. *Sci.* Satius eſt nunc cœnare, dum accerſimur. *Pu.* Et mihi nihil datis, quæ vos ſpectavi? *Cor.* Daremus, ſi iudicaſſes: da tu nobis potius, quæ noſtris luſionibus te delectaſti. *Pue.* Heus pueri, quando eſtis venturi? Cœna eſt ſemicomeſa: prope eſt, ut ſublatis carnibus, apponamus caſeum, & poma.

---

1 *Pro primatu ludendi, quis ludet primus.* 2 *Talitrum, eſt percuſsio, quæ unguæ fronti puerorum infringitur.* 3 *Calculi ſunt duodeni, albi, & nigri.* 4. *Vir. Epig.*

RE-

# REFECTIO SCHOLASTICA.

*Nepotulus, Piſo, Magiſter, Architriclinus, Lamia, Florus, Antrax, Hypodidaſcalus.*

VIvitiſne hic laute? *Pi.* Quid iſtuc verbi eſt, an lavamur? quotidie manus, ac faciem, & quidem crebro: mundities enim corporis, & ſanitati, & ingenio confert. *Nep.* Non id quæro: ſed an edatis, & bibatis ex animi veſtri ſententia? *Pi.* Nos non edimus ex animi ſententia, ſed ex palati ſententia. *Ne.* Dico, an ut vultis. *Pi.* Maxime, nempe cum fame: &, qui vult, edit; qui non vult, abſtinet. *Nep.* Surgitis à menſa famelici? *Pi.* Non omnino ſaturi: nec expedit: belluarum eſt enim expleri, non hominum. Regem 1 quendam ſapientiſsimum narrant, nunquam ſine appetitu accubuiſſe: nunquam ſurrexiſſe ſaturum. *Nep.* Quid editis? *Pi.* Quæ habemus. *Nep.* Putabam vos eſſe, quæ non habe-

ba-

batis. Sed, quæ ſunt iſta tandem, quæ habetis? *Pi.* Moleſtum percunctatorem: quæ dantur. *Nep.* At, quæ dantur? *Pi.* Ientamur de mane ſeſquihora poſtea quam ſurreximus. *Nep.* Quando ſurgitis? *Pi.* Fere cum Sole, qui eſt dux Muſarum; & Aurora gratiſsima Muſis. Silatum 2 noſtrum eſt fruſtum panis autopyri 3: & paullum butyri, aut fructuum aliquid, quales anni tempus ſuppeditat. Prandium, olus coctinum, vel pultes in pultariis, & aliquid pulmentarii carnium, rapæ modo, modo braſsicæ, amidum, ſimilago, oriza: tum diebus piſculentis lac ſeroſum in gabaris 4; è quo ſit butyrum expreſſum, iniectis aliquot turundis 5 panis: piſcis recens aliquis, ſi ſit in foro piſcario pretii tolerabilis: ſin ſecus, ſalſamentum probe maceratum: hinc piſa, aut cicera, aut lentes, aut fabæ, aut lupini. *Nep.* Quantum cuique ex his? *Pi.* Panis quantum avemus, obſoniorum quantum eſt ſatis, non ad explendum, ſed ad alendum. Ampliſsimas epulas alibi quærito, non in ſchola, ubi ad virtu-

tutem formantur animi. *Nep.* Quid bibitis? *Pi.* Alii frigidam, & liquidam, alii cerviſiam tenuem, pauci, & raro vinum, & bene dilutum. Merenda eſt, ſeu (ſi id mavis) antecœnium, aliquid panis, & amygdalarum, ſeu avellanarum, ficórum aridorum, uvarum paſſarum, aut, ſi ſit æſtas, pyrorum, aut malorum, ceraſorum, aut prunorum; cum vero animi gratia rus proficiſcimur, tum edimus lac, vel liquidum, vel coactum, caſeum recentem, cremórem, lupinos lixivio maceratos, pampinos, & alia, quæ villa ſuggerit. Cœnæ caput eſt, acetarium conciſum, ſale adſperſum, irroratum oleo olivarum ex gutto, aceto etiam infuſo. *Nep.* Quid? oleo nucum, aut raparum? *Pi.* Apage, rem inſuavem, & inſalubrem: tum in lata paropſide aulicoctia 6 vervecina, iuſſulenta 7 cum prunis paſſis, aut radiculis, aut herbulis, quæ ſint pro intrito: interdum tucetum 8, ſaporis ſcitiſsimi. *Nep.* Quo condimento? *Pi.* Fame, omnium optimo, & ſapidiſsimo: hinc

cer-

certis diebus hebdomadis aliquid aſsi, potiſsimum vitulinæ, hædinæ, interdum in vere, pro ſecunda menſa raphani perpuſillum, & caſei non putris, nec veteris, ſed recentis, qui eſt quam vetus alibilior: pyra, & mala perſica, cydonia. Diebus quos carne fas non eſt veſci, habemus pro carnibus ova aſſa, aut frixa, aut elixa, ſingula per ſe, aut in libum commiſta in ſartagine, aceto, aut omphacio, non tam infuſo, quam inſtillato: paullulum interdum piſcium: & caſeo ſuccedunt nuces. *Nep.* Quantum cuique? *Piſ.* Bina ova ſingulis, & binæ nuces. *Nep.* Quid? à cœna numquamne comeſſamini? *Piſ.* Sæpius. *Nep.* Quid, quæſo? nam id eſt ſuaviſsimum. *Piſ.* Convivium Syri apud Terentium 9; aut aliquod aliud ex illis lautiſsimis Athenæi, aut ſimilium, quorum meminerunt hiſtoriæ. Utrum cenſes nos porcos eſſe, an homines? qui ventriculi, quæ valetudo ſufficeret, poſt quaternas refectiones comeſſari: heus tu, ſchola-

la-

la hæc eſt, non ſaginarium: dicunt etiam nihil eſſe pernicioſius valetudini, quam bibere, cum ſtatim ſis iturus cubitum. *Nep.* Licebitne cœnæ veſtræ intereſſe? *Piſ.* Facile, modo venia petita à præceptore, quam ſcio illum daturum non gravate: nam ſolet alioqui pravæ eſſe educationis ingerere te convivio, magiſtro inſcio: &, qui te adduceret, nihil aliud, quam probrum, & pudorem contraheret apud condiſcipulos: mane paullisper. Magiſter, licebit, ne cum bona tua venia, puerum quendam mihi notum adhibere noſtræ cœnæ? *Præ.* Maximè non erit moleſtus. *Piſ.* Habeo gratiam. Hic, quem vides geſtantem mantile pro focali, eſt architriclinus huius hebdomadæ: nam hebdomadarios habemus hic architriclinos, ut Reges. *Ar.* Lamia, quota eſt hora? *La.* Horas non audivi à tertia, intentus compoſitioni epiſtolæ. Florus melius id norit, qui toto hoc pro meridiano tempore librum non vidit, neque chartam. *Flo.* Amicum teſtimo-

nium,

nium, & apud magiſtrum iratum valde utile. Sed qui potuiſti tu id animadvertere, immerſus (ut ais) compoſitioni epiſtolari? planè malevolentia te coegit mentiri. Gaudeo profectò, inimicum meum pro mendaci haberi. Si quid me poſt hac voluerit calumniari, carebit fide. *Are.* Non potero aliunde cognoſcere de hora? Anthrax tranſcurre ad Divi Petri ædes, & inſpice horas. *An.* Index ſignat iam ſextam. *Ar.* Sextam verò? Eia pueri agite, eia conſurgite, abiicite libros, vel quo cervi cornua, parate menſas, inſternite, apponite ſedilia mantilia, orbes, quadras, panem: dicto citius volate, nec tarditati noſtræ inſtitutor ſuccenſeat. Prome tu cervilіam, tu hauri aquam de ciſterna, appone ſcyphos, quid iſtuc rei eſt, tam obnubilatos adfers? refer in culinam, ut famula eos fricet, & extergat probè, quo ſint nitidi, & fulgentes. *Pi.* Numquam tu hoc perfeceris, quamdiu ſimiam hanc habebimus miniſtram culinariam,

num-

numquam audet fortiter confricare, quæ mundat ita timet ſuis digitis: nec abluit, niſi ſemel, & tepida. *Ar.* Quin admones de eo præceptorem? *Piſ.* Satius eſt quæri apud famulam atrienſem, nam in eius manu eſt mutare famulas culinarias. Sed eccum præceptorem: tu ipſe perluito hos calices, frica foliis fici, vel urticis, arena, aqua, ne quid hodie habeat magiſter iure reprehendendum. *Mag.* Sunt parata omnia? Eſt aliquid, quod nos remoretur? *Arc.* Nihil omnino. *Mag.* Ne poſtea facturi ſimus intervalla magna intermiſſus. *Ar.* Miſſus vero? Miſſum potius dixeris, & eum exiguum. *Mag.* Quid tu muſsitas? *Arc.* Dico, ut aſsideas, eſſe tempus, & propemodum corrumpi cœnam. *Mag.* Puer abluite omnes manus, & os. Vah, quod mantile? qui hic ſe extergunt ubi mundantur? Curre, adfer aliud purius. Sedeamus more ſolito: eſt is puer conviva noſter? *Pi.* Eſt here. *Mag.* Cuias eſt? *Pi.* Flander. *Mag.* Ex qua

qua urbe illius provinciæ? *Pi.* Burgenſis. *Mag.* Recipe illum ſupra te. Expediat quiſque cultellum ſuum, & purget quiſque ſuum panem, ſi quid hæret vel cineris, vel carbonum in cruſta: ſacret menſam, cuius eſt munus hac hebdomada. *Fl.* Paſce animos noſtros Chriſte charitate tua, quâ benignitate tua alis vitas omnium animantium: ſancta ſint Domine, hæc tua munera nobis ſumentibus, ut tu, qui ea largiris, ſanctus es. Amen. *Ma.* Sedete quantum licet laxè, ne comprimatis mutuo, quandoquidem eſt ſatis loci. Et tu habes cultellum Burgenſis? *Pi.* Prodigium, Flander ſine cultello: & quidem Burgenſis, ubi cuduntur optimi. *Nep.* Mihi verò cultello nihil eſt opus, dentibus frangam mordendo, vel digitis buccellatim comminuam. *HY.* Ferunt illud de morſibus tum gingivis, tum candori dentium eſſe perutile. *Mag.* Ubi feciſti Latinæ linguæ tirocinium? nam non videris mihi prave inſtitutus. *Nep.* Brugis, ſub Ioanne Theodoro Nervio.

vio. *Mag.* Viro diligenti, docto, probo. Brugæ elegantiſsimæ: niſi quod pereunt in dies vitio plebis profuſiſsimæ, dolendum eſt: quam pridem illinc veniſti? *Nep.* Nudius ſextus. *Mag.* Quam nuper cœpiſti ſtudere? *Nep.* Ab hinc annos tres. *Mag.* Non poteſt te profectus pænitere. *Nep.* Merito, nam & habui magiſtrum non pænitendum. *Mag.* Sed, quid agit Vives noſter? *Nep.* Dicunt eum agere athletam, non tamen athletice. *Mag.* Quid iſtuc rei eſt? *Nep.* Quia luctatur ſemper, ſed parum fortiter. *Mag.* Cum quo? *Nep.* Cum ſuo morbo articulari. *Mag.* O luctatorem doloſum, qui primum omnium invadit pedes. *HT.* Immo lictorem ſævum, qui totum corpus conſtringit. Sed, tu quid agis? quid ceſſas? videris huc ſpectatum veniſſe, non cœnatum. Nemo veſtrum attingat pileum inter cœnandum, ne quis capillus involet in patinas: cur non tractatis hoſpitem comiter? *HT.* Nepotule, præbibo tibi. *Nep.* Præceptor, excipio ani-

animo libentiſsimo. *HY.* Exinanias calicem tuum, quandoquidem exiguus hauſtus reſtat. *Nep.* Hoc eſſet mihi novum. *Mag.* Quid ? non exinanire ? Sed tu Hypodidaſcale, quid dicis, quid affers novi ſuper cœnam ? *HY.* Ego vero nihil dico, ſed hiſce duabus horis multa cogitavi de arte Grammatica. *Mag.* Quæ tandem ? *HY.* Recondita ſane, & ex penetralibus diſciplinæ : primum cur Grammatici poſuerunt tria genera in arte, cum ſint tantum duo in natura ? Aut cur natura non producit res neutrius generis, ſicut maſculini & fœminini? non poſſum cauſam excutere tanti myſterii. Deinde philoſophi dicunt eſſe tantum tria tempora, ars noſtra ponit quinque: ergo ars noſtra eſt extra rerum naturam. *Mag.* Immo tu ipſe es extra rerum naturam: nam ars in rerum natura eſt. *HY.* Si ego ſum extra rerum naturam, quomodo poſſum comedere hunc panem, & has carnes, quæ ſunt in rerum natura ? *Mag.* Tanto tu deterior, qui venis ab al-

altera rerum natura, ut comedas, quæ ſunt in hac noſtra. *HY.* Paraphthegma aproſdionyſon. Id eſt *reſponſum alienum à propoſito* : aliam ego vellem ſolutionem mearum quæſtionum. Utinam haberemus nunc Palæmonem aliquem, aut Varronem, qui has quæſtiones poſſet profligare. *Mag.* Quin potius Ariſtotelem, aut Platonem? Habes aliquid aliud? *HY.* Heri vidi ſcelus capitale admitti. Ludi magiſter Vici-Recti capro olidior, qui in phrontiſterio, 10 ſuo in pædore, & fœtore docet auditores diobolarios, ter, aut quater pronunciavit volucres accentu in penultima: ego vero miratus ſum, terram illi non dehiſcere. *Mag.* Quid aliud decebat talem ludimagiſtrum dicere? et eſt alioqui in formulis Grammaticis valdè detritus. Sed tu in re levi nimium tumultuaris, & facis tragœdiam ex comœdia, ſeu mino verius. *HY.* Equidem abſolvi penſum meum : nunc tuæ ſunt partes: dic tu viciſsim aliquid inter cœnam. *Mag.* Nolo, ne tu

mihi

mihi viciſsim Paraphatheges. Id eſt *prater rem reſpondeas.* Iuſſulenta hæc iam conglaciant : affer foculum 11 , menſarium : excalfacite aliquantum , priuſquam panem intingatis : raphanus hic non eſt eſui, adeo eſt lentus : nec minus ſunt radiculæ iuſſulentæ. *HY.* Lentorem profecto non à macello attulerunt, ſed hic contraxerunt in noſtro penore, qua cella nihil eſt penui incommodius. Neſcio quid iſtuc rei eſt , ſemper afferuntur huc oſſa emedullata. *Mag.* Parum habent oſſa medullarum ſub lunam ſilentem 12. *Hyp.* Quid cum eſt plena ? *Mag.* Plurimum. *Hyp.* Tum vero oſſa noſtra habent minimum: ſeu nihil verius. *Mag.* Non exorbet nobis medullas luna , ſed noſtris Lamia nimis hic indidit piperis , & gingiberis : & in iure hoc , & toto acetario , nimium mentæ , petroſelini, ſalviæ , erucæ , naſturcii , hyſſopi: nihil puerorum , & adoleſcentum corporibus æque damnoſum , ut cibi , qui interiora ferveſaciunt. *Ar.* Quibus igitur ex herbis velles confici?

fici? *Mag.* Lactucis, bugloſſa hortenſi, & portulaca, & petroſelini aliquid admiſceri. Heus, tu, Ginglofe, ne extergas labra manu, aut manica, ſed ſimul ipſa, ſimul manum mantili: nam ideo tibi datur. Carnes ne attingas, niſi ab ea parte, quam tibi es ſumpturus. Tu, Dromo, non animadvertis te manicas tuas inficere pingui carnium? reduceas, ſi ſunt apertæ, ad humeros: ſi non ſunt, corruga, vel complica ad cubitum: quæ ſi relabuntur, affige acicula, ſeu quod magis te decet, ſpina. Tu dominaſter delicatule, in menſam incumbis? ubi id didiciſti? in hara quapiam: heus ſubiicite eius cubito pulvilum. Architricline, vide, ne analecta 13 hæc pereant: reconde in promptuarium: tolle primum omnium ſalinum, hinc panem, tum lances, diſcos, mantilia, poſtremo mappam: mundet quiſque ſuum cultellum, & ponat in vaginam. Heus tu, Cinciole, ne ſcalpas dentes ſcalpello, nam eſt noxium: conficito tibi dentiſcal-

 pium,

Pium, pennula, vel bacillo tenui acuminato: & ſcalpe modice, ne gingivas ſcarifices, & ſanguinem elicias. Conſurgitè, & abluite manus, priuſquam recitetur gratiarum actio. Amove menſam, voca miniſtram, ut pavimentum hoc ſcopis vertat. Agamus Chriſto gratias: præeat verba, qui ſacravit menſam. *Flo.* Pro cibo temporario gratias agimus, Chriſte Domine, temporarias: fac, ut pro immortalitate agamus æternas. Amen. *Mag.* Ite luſum, & confabulatum, & deambulatum, quo libuerit, dum licet per lucem.

---

1 *Regem, Cyrum maiorem.* 2 *Silatum, ientaculum.* 3 *Autopyri, ex tota fariña confecti ſine exercitatione furfurum.* 4 *Gabatæ, ſunt profundæ ſcutellæ.* 5 *Turundæ, fruſta parva.* 6 *Aulicoctia, cocta in olla.* 7 *Iuſſulenta, cum ipſo iure.* 8 *Tuccetum, eſt caro minutim conciſa, & ita elixa.* 9 *In Adel. act.* 4. *ſc.* 2. 10 *Phrontiſterio, id eſt in ſchola.* 11 *Foculus menſarius, eſt*

ca-

*calefactorium menſæ aptum.* 12 *Sub lunam ſilentem , prope novilunium.* 13. *Analecta , reliquiæ, quæ colliguntur.*

## GARRIENTES.

*Nugo , Gracculus , Turdus , Bambalio, Obſervator.*

NUg. Aſsideamus in hac trabe: tu , Gracule , è conſpectu in ſaxo illo , modo ne impedimento ſis , quo minus cernamus prætereuntes : applicemus nos ad hunc parietem, egregie ſoli obſtentum. Quam grandis truncus , & cui uſui ? *Tur.* Ut nos hic ſedeamus. *Nu.* oportet fuiſſe proceriſsimam , & latam arborem , unde eſt ſumptus. *Tur.* Quales ſunt in India. *Grac.* Qui ſcis? Fuiſti tu in India cum Hiſpanis ? *Tur.* Quaſi ſcire aliquid de regione quapiam non poſsis , niſi in ea fueris, ſed dabo tibi auctorem meum. Plinius ſcribit , in India creſcere ad eam altitudinem , quæ non poſsit ia-

culo ſuperari : Ut ait Virgilius 1.

*Et gens illa quidem ſumptis non tarda pharetris.*

*Nu.* Scribit etiam Plinius, turmam equitum condi ſub ramis. *Tur.* Nemo id miretur, qui ſcirpos illius regionis conſideret, quibus infirmi fulciunt gradum, divites dumtaxat. *Grac.* Heus, quota eſt hora? *Nu.* Nulla: nam horarum tintinabulum nunc funditur: affuiſti? *Grac.* Non ſum auſus; nam aiunt rem eſſe periculoſam. *Nu.* Ego interfui, & vidi innumeras mulieres prægnantes traſilire canalem fuſionis, qui eſt ſub terram conditus. *Tur.* Audivi hoc illis eſſe ſalutare. *Grac.* Ea eſt colus philoſophia, ut dicunt, ſed de hora quærebam. *Nu.* Quid tibi opus eſt hora, ſi quid vis agere? dum eſt opportunitas, eſt hora. Sed ubi eſt horologium tuum viatorium? *Grac.* Excidit mihi nuper, cum fugerem canem olitoris, poſt decerpta pruna. *Tur.* Ego te currentem vidi de feneſtra, ſed, quo te recepiſſes, ſpectare non potui, quia impedimento mihi erat hortus penſilis, quem ibi

ma-

mater affixit patre invito, & multum reclamante: mater vero, in propoſito conſtans, obtinuit, ne tolleretur. *Nu.* Quid tu? tacebas? *Tur.* Flebam tacitus: quid enim aliud agerem, diſſentientibus mihi chariſſimis capitibus? tametſi mater iubebat me ab ſe ſtare, & clamare ſtrenue, ſed mihi non erat cordi quidquam adverſus patrem mutire. Ego miſſus ſum ad ſcholam, quatuor continuis diebus inientatus à matre irata, & deierante me non eſſe ex ſe natum, ſed commutatum à nutrice: de quo ait dicturam ſe nutrici diem apud Prætorem capitalem. *Nu.* Quid rei eſt Prætor capitalis? an non Prætor omnis habet caput? *Tur.* Quid ego ſcio? ſic illa dixit. *Grac.* Hem, qui ſunt iſti pænulati, & ocreati? *Nu.* Galli ſunt. *Grac.* Quid, eſt ne pax? *Tur.* Bellum narrabant futurum, & quidem atrox. *Grac.* Quid afferunt? *Tur.* Vinum. *Nu.* Exhilarabunt multos. *Gra.* Scilicet, non ſolum vinum exilarat, ſed vini mentio, & recordatio. *Nu.* Vinoſos utique: mea nihil refert, qui

aquam bibo. *Gra.* Nunquam facies bonum carmen. *Tur.* Noſti illam mulierem ? *Gra.* Non, quænam eſt? *Tur.* Aures habet goſsipio obturatas. *Gra.* Quid ita ? *Tur.* Ne quid audiat, quia male audit. *Nu.* Quam multæ peſsime audiunt auribus patentibus, & bene perforatis. *Tur.* Credo huc pertinere quod eſt apud Ciceronem in Tuſculanis quæſtionibus: Surdaſter erat M. Craſſus, ſed illud peius, quod male audiebat. *Nu.* Non dubium eſt quin hoc ad infamiam ſit referendum. Sed heus tu Bambalio, inveniſti tuas Tuſculanas quæſtiones ? *Bam.* Etiam, apud propolam, adeo interpolatas, ut non agnoſcerem. *Nu.* Quis ſurripuerat ? *Bam.* Vatinius, quod illi male ſit. *Grac.* Vah hominem manibus aduncis, & picatiſsimis: ne admittas eum umquam ad tuas capſas, nec ad ſcrinia, ſi vis omnia eſſe ſalva. Neſcis illum crumeniſecam exiſtimari ab hominibus, & de crumeniſecio, accuſatum apud gymnaſiarcham ? *Nu.* Soror puellæ illius enixa eſt heri gemellos. *Grac.*

Quid

Quid mirum? Mulier quædam via Salaria ad Leonem galeatum, peperit nudius ſextus tergeminos. *Nu.* Plinius dicit, ad ſeptimum poſſe procedi. *Tur.* Quis veſtrum audivit de uxore Comitis Bataviæ? quam ferunt uno partu tot edidiſſe, quot ſunt in anno dies; ex imprecatione mendicæ cuiuſdam. *Grac.* Quid iſtuc fuit de mendicata? *Tur.* Mendica hæc liberis onuſta petiit ab hac comite ſtipem: illa, ubi conſpexit tot pueros, convicio illam abegit, ſcortum vocitans: negabat enim poſſe fieri, ut ex uno viro tantam ſobolem ſuſcepiſſet. Innocens mendica precata eſt divos, ut, ſi ſe caſtam, & puram ſcirent, darent Comiti ex marito ſuo tot fetus uno conceptu, quot ſunt in anno dies: & ita contigit: oſtenditurque propago numeroſa illa in oppido quodam illius inſulæ. *Gra.* Malo credere, quam exquirere: *Nu.* Omnia ſunt Deo poſſibilia. *Gra.* Immo vero facillima. *Nu.* Non noſti illum onuſtum retibus, comitatum canibus, cum cauſia, & peronibus, vehentem canterio

ſtrigoſiſsimo ? *Tur.* Eſtne Mannius verſificator ? *Nu.* Eſt plane. *Tur.* Quænam tanta metamorphoſis ? *Nu.* Ex Minerva tranſit ad Dianam : id eſt, ab honeſtiſsima occupatione ad inanem, & ſtultum laborem. Pater eius mercimoniis faciundis auxerat rem : hic paternam artem dedecori ſibi eſſe ducit, vertit ſe ad alendos equos, & venationem, non aliter ratus poſſe nobilitatem generis venari : nam, ſi quid ageret utile, non haberetur pro nobili. Sequitur eum venantem talis. Curius pereruditus homo, aleator famoſiſsimus, & qui probe novit taxillos mittere compoſitos 4. domi habet ſodalem Tricongium. *Tur.* Immo amphoram. *Grac.* Immo ſpongiam. *Nu.* Immo arenam Africæ aridiſsimam. *Bam.* Aiunt illum ſemper ſitire. *Nu.* An ſitiat, neſcio : ſemper certe paratus eſt potare. *Bam.* Heu, auſculta luſciniolam illam. *Gra.* Ubinam eſt ? *Bam.* Non vides eam in ramo illo ſedentem ? vide ut canit ardenter, nec intermittit. *Nu.*

*Flet Philomela nefas.*

*Et.*

*Er.* Quid mirum dulciter eam garrire, quæ ſit Attica? ubi etiam fluctus maris non ſine numero aliduntur litori. *Nu.* Plinius ſcribit, eam præſentibus hominibus diutius, & accuratius cantare. *Tur.* Quid cauſæ eſt? *Nu.* Ego tibi cauſam aperiam. Cuculus, & philomela eodem cantant tempore, verno ſcilicet, ab Aprili medio ad Maium exactum, aut eo circiter. Hæ duæ aves in contentionem venerunt, de ſuavitate concentus: quæſitus eſt iudex: &, quia de ſono erat certamen, aptiſsimus viſus eſt ad eam cognitionem aſinus, qui præter cæteras animantes grandes haberet auriculas. Aſinus, repudiata luſcinia, cuius ſe harmoniam negaret intelligere, victoriam cuculo adiudicavit: philomela ad hominem appellavit: quem ubi videt, agit ſtatim cauſam ſuam, canit diligenter, ut ſe illi approbet ad vindicandam iniuriam ab aſino acceptam. *Gra.* Habeo cauſam poeta dignam. *Nu.* Quid ergo exſpectabas philoſopho dignam? poſce à novis illis magiſtris Pariſienſi-

bus. *Grac.* Pleriſque? illorum veſtibus ſunt philoſophi, non cerebro. *Nu.* Quid ita veſtibus? nam coquos potius dixeris, aut muliones. *Grac.* Quia geſtant eas craſas, deterritas, laceras, lutulentas, immundas, pediculoſas. *Nu.* Erunt ergo philoſophi Cynici. *Grac.* Immò cimici: non, quod videri affectant, Peripatetici; quippe Ariſtoteles ſectæ princeps cultiſsimus fuit. Ego vero longum Vale dico iam nunc philoſophiæ, ſi aliter non poſſum eſſe philoſophus. Quid enim pulchrius, & homine dignius, quam mundities, & civilis quidam cultus in victu, & veſtitu? ea in re antiſtant mea ſententia Lovanienſes Pariſienſibus. *Tur.* Quid tu? non putas eſſe impedimento ſtudiis nimiam curam munditiæ, atque elegantiarum? *Gra.* Ego quidem munditiem probo, anxiam, & moroſam illius curam improbo. *Nu.* Damnas tu elegantias, de quibus ſcripſit Valla tam diffuſe, quaſque adeo diligenter commendant nobis noſtri præceptores? *Gra.* Alia eſt verborum in loquendo elegantia, alia

alia rerum in veſtiendo. *Tur.* Scitis, quid eſt michi narratum à tabellario Lovanienſi? *Nu.* Quid tandem? *Tur.* Clodium ardere perdite in puellam quandam, & luſconem tranſtuliſſe ſe ad mercaturam à litteris, hoc eſt ab equis ad aſinos. *Nu.* Quid audio? *Tur.* Clodium noratis omnes ſucci plenum, rubicundulum, bene habitum, hilarem, vultu renidenti, comem, feſtivum confabulatorem: nunc refert ille, eſſe exſiccum, exſanguem, pallido colore, atque adeo lurido, imbecillum, horridum, trucem, taciturnum, fugitantem lucis, & humani conſortii: nemo, qui illum vidiſſet prius, iam agnoſceret. *Nu.* O miſerum adoleſcentem: unde id mali? *Tur.* Ex amore. *Nu.* At unde amor? *Tur.* Quantum ex oratione tabellarii potui colligere, reliquerat ſeria, & ſolida ſtudia dediderat ſeſe totum poetis laſcivis, Latinis, & linguæ vulgaris: inde prima animi præparatio: ut, ſi qua ignis ſcintilla in illum incideret fomitem, quantumlibet exigua, ſubito inflammaretur velut ſtupa: traditerat

rat ſe ſomno, & otio. *Nu.* Quid neceſſe habes plures, aut maiores cauſas amandi commemorare? *Tur.* Nunc inſanit, ambulat plerumque ſolus; ſemper autem vel tacitus, vel cantillans aliquid, & modulans, ſcribit verſus ſermone vernaculo. *Nu.* Scilicet

*Quos legat ipſa Lycboris* 6.

*Gra* O Chriſte, averte ab animis noſtris tam pernitioſum morbum. *Tur.* Niſi me ingenium Clodii fallit, recipiet ſe aliquando ille ad frugem meliorem: peregrinatur animus eius in nequitia, non habitat. *Gra.* Et ille alter quas mercaturas exercet? *Tur.* Miſit ad patrem epiſtolam, flebiliter conſcriptam, de miſera conditione ſtudiorum, quam, quod eſſet apertilis 7; legit ipſe tabellarius. Pater, homo craſſæ Minervæ, tranſtulit eum à chartis ad lanas, pannos, glaſtum, piper, gingiber, cinnamum. Nunc ille ſuccinctus braceas, mire diligens, & ſedulus in aromataria taberna, vocat adventores, excipit blandus, ſcandit, deſcendit per ſcalas infeſtiſsimas, perfert ſuas merces,

ces, vertit, invertit, mentitur, peierat: omnia ſunt illi leviora, quam ſtudere. *Nu.* A puero novi illum attentum ad rem, & delectari nummulis, itaque potiorem habuit nummationem, quam litteraturam, & vile lucrum antepoſuit excellentiæ eruditionis: aliquando pœnitebit eum. *Tur.* Sed ſero. *Nu.* Indubie provideat, ne accidat ſibi, quod ſuo conſobrino. *Tur.* Cui? *Nu.* Antronio in Angiportu pomorum, ad tres graculos. Non audiſti illum ſuperiore anno decoxiſſe? *Grac.* Quid decoxit, quæſo? eſt ne hoc tantum malum? an non quotidie id fit in culinis omnibus? *Tur.* Decoxit rem. *Gra.* Quam rem? *Tur.* Alienam, & 8* conturbavit. *Grac.* Nihilne reddidit creditoribus? *Tur.* Ex compactione, nam receperat ſe in aſylum, untias ternas ex libris ſingulis. *Grac.* Hoc vocas tu decoquere? cum nihil ſit crudius: ſed, quomodo amiſit? *Tur.* Audivi equidem nuper de patre: non ſatis tamen intellexi: narrabat pater, eum feciſſe verſuras damnoſiſſimas, quæ degluberunt eum: &

de-

devorarunt uſque ad oſſa. *Grac.* Quid rei eſt verſura? quid deglubere? *Tur.* Ne ego quidem novi: credo eſſe aliquid de furibus. *Nu.* Vides illum, obeſum? quem putes vix ſe poſſe commovere, petauriſta eſt, & funambulus. *Grac.* Ah, tace, rem narras incredibilem. *Sur.* Non ipſe quidem ſuo corpore, ſed calicibus. *Gra.* Afferebat aliquid aliud novi tabellarius de noſtris ſodalibus? *Tur.* Etiam de Hermogene, qui in omni noſtro certamine ſemper ferebat primas: is, admirabili mutatione, ex ingenioſiſsimo, & (ut ætas ferebat) doctiſsimo, repente factus eſt tardiſsimus, & rudiſsimus. *Nu.* Tale quidam ſæpe vidi accidere in quibuſdam acutulis. *Bam.* Aiunt, id fieri, cum ingenii acumen non eſt ſolidum: ut in ſcalpellis, quorum acies facile retunditur, præſertim ſi quid ſecet paullo durius. *Grac.* Quid, eſt ne acies in ingenio, ſicut in ferro? *Bam.* Neſcio: ferrum ſæpe vidi, ingenium numquam vidi. *Nu.* Quid factum eſt adoleſcenti illi pagano, qui ſu-

pe-

periore menſe exhibuit nobis prandium adventorium 10, refertum deliciis ruſticis, ad quem à fuga retrahendum præceptor miſerat quatuor fugitivarios 11? & erat formoſulus. *Tur.* Venuſtus aſinus. Puella amanuenſis 12 amitæ meæ, quæ puella eſt illi ſoror patruelis, convenit illum nuper in pago ſuo nudo capite, impexum, horridum ſentum, cum gallicis 13, & tunica villoſa 14 levidenſa, vendentem in trivio quodam chartaceas imagines, & tabellas elementarias, cantantem cantiones novas in circulis. *Gr.* Oportet illum eſſe ortum claro ſanguine. *Tur.* Qui iſtuc? *Gr.* Quoniam pater eius eſt de genere Coclitum. *Nu.* Non tam id arguit nobilem virum, quam bonum iaculatorem: collimabit 15 facile. *Tur.* Aut fabrum tignarium, qui oculo rubricam dirigit uno. *Nu.* Numquam placuit mihi ille puer, nec dederat mihi ſignificationem aliquam virtutis. *Gra.* Quid ita? *Nu.* Quia nec amabat ſtudia, nec præceptorem reverebatur, quod

eſt

eſt perditi animi argumentum evidentiſsimum : & ſenes irridebat, & calamitoſos ſubſannabat. Sed, quis eſt iſte ſericatus, torquatus, bracteatus auro ? *Gr.* Ex genere clariſsimo, matrem habet nobiliſsimam, & fœcundiſsimam. *Nu.* Quam ? *Gra.* Terram : & vix credas, quas ſemper faciat delicias, dicas puerulum in cunis adhuc, & crepundiis vagientem. *Nu.* Atqui lanugo illi incipit iam per malas ſerpere. *Bam.* Hem, obſervator venit, expedite libros, explicate, incipite evolvere. *Gra.* Nec fuit his multis hebdomadibus obſervator magis curioſus, & qui tam gauderet deferendis ad magiſtrum criminibus. *Bam.* Utinam ſaltem nos veræ culpæ reos ageret : ſed calumniatur plerumque. *Nu.*

*Hic murus aheneus eſto,*
*Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa* 16.

Sed quieſcite, ego illum ſtatim hinc fugabo. *Obſerv.* Quid tu dicis, Vacia ? Quid tu, Vatrax ? *Obſer.* Quid tu, Vatrachomyomachia ? ſed, ioco,

co, ameto, quid hic agitur? *Nu.* Quid ageretur? quod inter bonos ſcholaſticos, & ſtudioſos: legitur, ediſcitur, diſputatur. Dic, ſodes, capitulum lepidiſsimum, quid eſt apud Virg. 17 *Tranſverſa tuentibus hirquis*? *Obſ.* Benefacitis: pergite ſtudere, ut bonæ indolis adoleſcentes decet: mihi aliud nunc eſt negotii: vos valebitis. *Nu.* Satis nugatum eſt: revertamur ad ludum: ſed prius relegamus, quæ præceptor explicavit, tum ut diſcamus, tum, ut illi placeamus, & nos approbemus: quod cuique noſtrum debet eſſe in votis, non minus quam patri.

---

1 *Virgil.* 2 *Georg.* 2. *Picatiſsimis, i. pice maxime illitis.* 3 *Cauſia, eſt pileus adverſus æſtum.* 4 *Compoſitos, ita ut cadant ut ipſe vult.* 5 *Martial. libro* 2. 6 *Virg. Ecl. decima.* 7 *Apertiles, quæ aperiri poſsit integre.* 8 * *Conturbavit, rationes, ſcilicet, nolens ſolvere creditoribus.* 9 *Petauriſta. i. qui ſaltibus, vel Sce-*

*nis*

*nis levioribus movetur.* 10 *Prandium adventorium, pro ſuo felici adventu.* 11 *Fugitivarii, qui retrahunt ſervos à fuga.* 12 *Amanuenſis, quam hera habet ſemper ſibi paratam ad manum.* 13 *Gallicæ, lignei.* 14 *Villoſa, levidenſa, craſſa, qualis eſt Friſia.* 15 *Collimabit, attinget ſcopum.* 16 *Hora. ep.* 1. *lib.* 1. 174. *Ecl.*

# ITER, ET EQUUS.

*Miſippus, Philippus, Miſoſpudus, Planetes, Puer, Ruſticus.*

PHil. Vultiſne proficiſcamur animi gratia Boloniam, quæ eſt ad Sequanam? *Miſip.* & *Miſoſp.* Nihil malumus, die præſertim ſereno, & à ventis ſilenti, tum etiam in noſtro pædagogio feriato. *Phil.* Cur non eſt vobis operarius? *Miſoſp.* Quia Pandulphus madefacturus eſt hodie ingenti prandio magiſtros omnes, in honorem laureæ ſuæ magiſtralis. *Planet.* Vah, quantum potabitur. *Miſoſp.* Multo plus ſitietur.

*Mi-*

*Miſip.* Ego habeo aſturconem 1. *Philip.* Et ego, & Planetes vehemur rheda: reliqui, ſi videtur, vel pedeſtres ſequentur nos, vel vi brachiorum agent cymbam contra curſum amnis. *Planet.* Immo equis trahetur. *Miſoſp.* Ut erit cordi: nam nobis pedeſtre iter magis placet. *Philip.* Eia, puer, fræna equum meum, & inſterne. Quid, malum, manno 2 indis lupatum? orna potius frænulo illo levi cum bullis. *Puer.* Hui, nec oream 3 habet, nec aureas 4. *Philip.* Si ſcirem, quis fregiſſet, ego illi frangerem. *Miſip.* Quid tu nunc dices, concitatus? *Philip.* Panem in cœna. Accipe, unde poteris, accommodato. *Puer.* Scilicet in mediis pædagogiis quæris tu, vel equos, vel equorum ornamenta. *Philip.* Supple igitur, quæ deſunt, ex hoc fune. *Puer.* Erit deforme. *Philip.* Abi, inſane, quis videbit extra urbem? *Puer.* Antilena 5 eſt diſſuta. *Phil.* Sarcias ligula adſtrictoria aliqua. *Pu.* Non habet poſtilenam 6. *Philip.* Nec eſt opus. *Pl.* Magnum equi-

tem, & exercitatum: delabetur ephippium ad collum, & effundet te equus ſupra caput. *Phil.* Quid ad me? lutoſa eſt magis via, quam lapidoſa: inficiar cæno, non cruentabor. Sed, ſi hæc omnia apparanda, non hinc diſcedemus ante veſperum: adduc equum qualicumque ornatu. *Puer.* Paratus eſt, conſcende: ah, quid agis, pedem dextrum ponis priorem in ſtapeda? *Philip.* Utrum ergo? *Puer.* Siniſtrum, & habenas ſiniſtra manu rege: dextera cape hanc virgulam, quæ erit pro calcaribus. *Phil.* Non indigeo: calcanei erunt mihi vice calcarium. *Puer.* Iubellium Tauream 7 videtis, aut, qui cum hoc eſt congreſſus, Aſellum 8. *Phil.* Apage hiſtorias in procinctu: ubi reliqui? *Puer.* Ite, ego comitabor vos pedeſter. *Miſip.* O equum, moleſtiſsimum ſuccuſſatorem, oſſa mihi omnia contuderit, priuſquam perveniamus in opidulum. *Phi.* Quid, malum, eſt ſtratum iſtud tuum? clitella 9 eſt ut puto. *Miſ.* Paullo minus. *Phi.* Quanti, quanti? *Miſ.*

Num-

Nummis Turonenſibus quatuordecim. *Phi.* Equum ipſum cum ſuo victu & veſtitu tanti non emerim: nec videtur mihi equus vector : nec ephippiarius, ſed iumentum clitellarium, & iugale, aut doſſuale 10: animadverte, quæſo, ut paſsim ceſpitat ? vel in chartam, aut latum culmum impingeret. *Miſ.* Quid tu de eo dicis ? pullus eſt adhuc. Sed garrias, quæ voles: vides, tu hunc equum ? is, qualis qualis eſt, me vehet, aut ego illum. *Pu.* Ungulam habet tenerrimam miſer. *Phi.* Quid admonuit te tam accurate unoculus 11, cum tibi eum inſterneret ? *Miſ.* Rogavit verbis amantiſsimis, ne duo inſideremus equo, alter in ſtrato, alter ſuper clunes, & ut in equili diligenter ei ſubſternerem 12. *Pu.* Nimirum eget miſellus, qui latera habet nudata carne. *Phi.* Quid agitis vos ? non adſcenditis in rhedam ? *Pla.* Probe mones : rhedarius petit nunc altero tanto plus, quam quanti eramus pacti. *Phi.* Cum rhedariis eſt vobis res, & cum naviculatoribus : facile con-

fi-

ficietis omnia, & ex animi ſenten-tia: genus hominum eſt mite, manſuetum, come, urbanum, pium. Rhedarii ſunt fæx terræ, naviculatores fæx maris: date illi dimidium eius, quod plus poſcit. *Pu.* Quotam eſſe iam horam cenſetis? *Phi.* Ex Sole coniicio eſſe ultra decimam. *Pu.* Appetit iam meridies. *Phi.* Ita ne? heus, Miſippe, eamus; ſequatur, qui poterit: invenient nos ad Galerum purpureum: ea eſt taberna diverſoria ſita contra regiam pyramidem, non procul à domo Curionis 13. *Miſ.* Qua egrediemur? *Phi.* Per portam Marcellinam, ad dextram, ſimplici via, & directa. *Miſ.* Immo teneamus hanc ſemitam, via iucunda, & placida. *Phi.* Minime vero: nihil commodius, ac tutius, quam via regia: nam tranſverſis itineribus amittemus comites; præſertim quod trames ille, niſi me fallit memoria, eſt valde ſinuoſus, & ambagioſus. *Miſ.* Qui ſunt iſti haſtati? videntur milites ex iſtis mercenariis. *Phi.* Quid agendum? *Miſ.* Revertamur,

ne

ne nos ſpolient. *Phi.* Progrediamur: nam facile evademus eos curſu equorum per campos. *Miſ.* Quid, ſi geſtent tormenta 14 manuaria? *Phi.* Nihil tale cerno, ſed ſolas sariſſas 15. *Miſ.* Accede propius, puer. *Pu.* Quid rei eſt? *Miſ.* Non tu vides illos Germanos? *Pu.* Quos? *Miſ.* Illos huc venientes adverſus nos. *Pu.* Plane ſunt Germani, ſed Pariſienſes, ruſtici duo cum ſuis baculis. *Miſ.* Profecto ita eſt: bene ſit tibi: animam mihi, & vitam reddidiſti. Sed, ubi Miſoſpudus, & Planetes? *Pu.* Rhedarius iratus quod non, quantum poſtulaverit, accipiat, duxit eos via ſalebroſa: equi, dum magna enituntur vi, rotas in alto cœno hærentes extrahere, temonem, & helcia 16 confregerunt: tum canthi 17 revulſi ſunt cum clavis, & ipſe rotam ſufflaminaverat imprudens, bili excæcatus; nunc ea reficit ſtomachabundus, & convicians divis omnibus, Vectores quoque diris devovens atrociſsimis. *Phi.* Quæ capiti illius ſint. *Pu.* Puto eos, rheda relicta, tranſituros

in

in ſarracum, quod ſine onere habet iter Boloniam. Glaucus, & Diomedes ingreſsi erant in ſcapham quandam; ſed nautæ negant, ſe hoc vento poſſe remis, aut contis agere navigium: equos helciarios 18 narrant omnes eſſe occupatos, neſcio qua materia vehenda; ita nondum religarunt prymneſium 19. *Phi.* De naulo nihil novi? *Pla.* Nihil prorſum. *Phi.* Mirum eſt: ſed coniicio, quid futurum ſit: non pervenient illi Boloniam ante ſerum diei. *Miſ.* Quid tum? Sumemus diem craſtinum totum ad reficiendum animum. Adſpice, ut fluviolus ille leniter labitur; aquæ plane cryſtallinæ inter ſcrupos aureos, quam iucundum murmur? Audis luſciniolam, & carduelem? Profecto territorium hoc Pariſienſe amœniſsimum eſt. *Phi.* Quod ſpectaculum poteſt eſſe huic par? quam placido agmine fluit Sequana? ut fertur navicula illa plenis ſinibus, & ſecundo vento? mirifice his omnibus redintegrantur animi: ò pratum miro artificio veſtitum! *Miſ.* Nempe
ab

ab admirabili artifice. *Phi.* Quem ſuavem odorem eructat! *Miſ.* Hac, hac, ad ſiniſtram flectito, ut vites cœnum tenaciſsimum, in quo gradarius 20 tuus ſtatim unguem amitteret. Quam contrarius hic campus ſuo vicino obſitus, ſqualidus, carioſus, horrens petris, & ſpinis armatus? *Pu.* Non vides eſſe agrum ruderatum ex villæ ruinis? & alioqui frumentarius eſt. Hyberno pulvere, verno luto, magna farra, Camille, metes. 21 *Phi.* Quæſo, cantilla verſus aliquot, ut ſoles. *Miſ.* Placet.

*Felix ille animi, diviſque ſimillimus ipſis,*
*Quem non mendaci reſplendens gloria fuco*
*Sollicitat, non faſtoſi mala gaudia luxus:*
*Sed tacitos ſinit ire dies, & paupere cultu.*
*Exigit innocuæ tranquilla ſilentia vitæ.*

*Phi.* Verſus facetiſsimos, & graviſſimos: cuius quæſo ſunt? *Miſ.* Non agnoſti? *Phi.* Non. *Miſ.* Angeli Po-

litiani. 22 *Phi.* Vetuſtiores putavi, & habent gratiam antiquitatis. Suſpicor nos deerraſſe. *Miſ.* Heus bone vir, qua itur Boloniam? *Ruſt.* Aberraſtis: obvertite cantheria 23 veſtra ad bivium illud, & tenete viam, quam rodit flumen, ea vos non ſinet falli: recta eſt, & ſimplex uſque ad vetuſtam quercum, indè ad manum hanc vos præcipitatote. *Miſ.* Habemus gratiam. *Ruſt.* Ducat vos Deus. *Miſ.* Mallem currere, quam ſic ab equo iſto concuti. *Phi.* Tanto cœnabis avidius. *Miſ.* Immo non potero cœnare delaſſatus, & confractus toto corpore: citius quæram de lecto, quam de menſa. *Phi.* Sede coniunctis cruribus, non divaricatis: 24 minus ſenties laborem. *Miſ.* Hoc eſt fœminarum, & facerem, niſi metuerem deriſus, & ſannas prætereuntium. *Pu.* Siſte parumper, Philippe, dum hic faber ferrarius calcearit aſturconem tuum, cui excuſſa eſt ſolea dextri pedis. *Miſ.* Quin potius moremur hic, ut, clauſo diverſorio ſub dio dormiamus. *Phi.*

Quid

Quid tum? in aperto mundo, an non id præſtabilius, quam in clauſo, gravius eſſet, quod incœnes.

---

1 *Aſturco equus, ab Aſturia, oppido Hiſpaniæ ſic dictus pedeſtre, idem quod terreſtre.* 2 *Mannus, id eſt parvus mulus.* 3. *Orea, corrigia, quæ eſt ſub ore.* 4 *Aureæ, corrigia ad aures.* 5 *Antilena, eſt lorum ante pectus.* 6 *Poſtilena, lorum ab ſtrato ad caudam.* 7 *Iubellius Taurea, Campanorum longe fortiſsimus eques.* 8 *Claudius Aſellus, civis Romanus.* 9 *Clitella, vulgo baſte, ò albarda.* 10 *Doſſuale, quod dorſo aliquid portat: antiqui dorſum dicebant doſſum, ut* Varro *docet.* 11 *Unoculus, quem ſupra vocavit luſcum.* 12 *Subſternerem, paleam ad cubandum.* 13 *Curio, eſt ſacerdos, qui præeſt parochiæ Curatus vulgo.* 14 *Tormenta manuaria ſclopeta vocant.* 15 *Sariſſæ, haſtæ prælongæ, ita à Macedonibus vocata.* 16 *Helcium, quod eſt traho, valet ſpartum funis, quo pectori equorum adnexo trahuntur onera.* 17 *Chantus, ferrum, quo*

*ſuperficies rota vincitur.* 18 *Equi helciarii, qui trahunt navigium, aut ſimilia.* 19 *Prymneſium, funis eſt, quo naviculæ terræ alligantur.* 20 *Gradarius equus, qui ſine ſuccuſſatione molliter incedit.* 21 *Virg.* 1. *Georg.* 22 *In Ruſtico, circa initium.* 23 *Cantheria, ideſt equos caſtratos.* 24 *Non divaricatis, hoc eſt coniunctis cruribus.*

## SCRIPTIO.

*Manricus, & Mendoza, Puer, Magiſter.*

MAn. Affuiſtin hodie, cum ille haberet orationem de utilitatibus ſcribendi? *Men.* Ubinam? *Man.* In auditorio Antonii Nebriſſenſis. *Men.* Minime vero: ſed tu recenſe, ſi qua hæſerunt memoriæ. *Man.* Quid ego recenſeam? dixit tam multa, ut omnia prope exciderint. *Men.* Ergo contigit tibi, quod de vaſis anguſti orificii Quinctilianus 1 dicit, quod ſuperfuſam hu-

humoris copiam reſpuunt: ſenſim ſi inſtilles, recipiunt. Sed nihil retinuiſti penitus? *Man.* Propemodum nihil. *Men.* Aliquid igitur. *Man.* Perpuſillum. *Men.* Iſthuc ipſum perpuſillum fac mihi etiam commune. *Man.* Primum omnium aiebat eſſe perquam admirabile, tantam varietatem humanarum vocum paucis potuiſſe litteris comprehendi: deinde amicos abſentes poſſe inter ſe beneficio litterarum colloqui. Addebat, nihil eſſe viſum admirabilius apud inſulas iſtas à regibus noſtris recens inventas, unde aurum affertur, quam poſſe inter ſe homines aperire, quæ ſentiant, tanto intervallo regionum miſſa chartula aliqua maculis nigris diſtincta. Rogabant enim, an papyrus ſciret loqui. Hæc ille, & alia permulta, quæ ſum oblitus. *Men.* Quandiu dixit? *Man.* Horas duas. *Men.* Ex tam longa oratione, tam paucula mandaſti memoriæ? *Ma.* Mandavi quidem memoriæ, ſed ea noluit retinere. *Men.* Plane dolium habes filiarum Danai. *Man.* Immo excepi

cribro, non dolio. *Men.* Accerſamus aliquem, qui tibi ea, quæ ille dixit, redigat in memoriam. *Man.* Mane tamen: nam aliud quiddam cogitatione quæro: teneo. *Men.* Eloquere tandem: cur non excipiebas penna? *Man.* Non erat ad manum. *Men.* Ne pugillares quidem? *Man.* Ne pugillares quidem. *Men.* Exprime hoc tandem. *Man.* Aufugit iam: tu excuſsiſti menti, tam odioſe interpellando. *Men.* Hui, tam cito? *Man.* Rediit in memoriam. Ex auctoritate neſcio cuius ſcriptoris affirmabat, nihil eſſe ad magnam eruditionem compendioſius, quam probe, ac celeriter pingere. *Men.* Quis eſt auctor? *Man.* Nomen ſæpe audivi, ſed memoria effluxit. *Men.* Ut alia: ſed huic præcepto non paret vulgus noſtræ nobilitatis: quæ pulchrum, & decorum ſibi eſſe ducit, neſcire litteras formare: dicas ſcarificationem eſſe gallinarum, &, niſi præmonitus ſis, cuius ſit manus, numquam divinaris. *Man.* Et ea de cauſa vides, quam craſsi ſint homines, quam amen-

amentes, & opinionibus corruptiſſimis. *Men.* Quo modo ſunt vulgus, ſi nobiles? an non hæc multum inter ſe diſtant? *Man.* Quia vulgus non veſtibus, & poſſeſsionibus diſtinguitur, ſed vita, & iudicio de rebus integro. *Men.* Vin ergo, ut nos à vulgari iſta inſcientia vindicemus? tradamus nos huic exercitamento. *Man.* Neſcio quo pacto naturale eſt mihi, diſtorte, inæqualiter, perturbate exarare litteras. *Men.* Hoc habes nobilitatis exerceas te: nam aſſuefactio mutabit, quod naturale eſſe dicis. *Man.* Sed, ubi is habet? *Men.* Ex me tu id quæris? qui nec audivi hominem, nec vidi, cum ipſe eum audieris: tu, quantum intelligo, velles omnia ingeri tibi præmanſa in os. *Man.* Nunc commemini: aiebat ſibi domum conductam iuxta ædem DD. Iuſti, & Paſtoris. *Men.* Eſt ergo vicinus veſter: eamus. *Man.* Heus, puer, ubi eſt magiſter? *Pu.* In illo conclavi. *Men.* Quid agit? *Pu.* Docet quoſdam. *Man.* Significa illi, adſtare hic præ foribus,

bus, qui huc etiam veniunt, ut ab eo doceantur. *Mag.* Qui ſunt pueri iſti? quid petunt? *Pu.* Te cupiunt conventum. *Mag.* Admitte eos ad me recta. *Man.* & *Men.* Optamus tibi ſalutem, & omnia proſpera, Magiſter. *Mag.* Et ego viciſſim vobis felicem huc ingreſſum. Soſpitet vos CHRISTUS: quid eſt? quid vultis? *Man.* Doceri abs te artem iſtam, quam profitere, ſi modo vacat, & ſi vis. *Mag.* Profecto oportet vos eſſe pueros honeſtiſsime educatos, qui, & ſic loquamini, & tam modeſto ſitis ore. Nunc vero magis, cum tota facie ſuffudit ſe vobis rubor, confidite, filii: nam iſte eſt color virtutis: qui vocamini? *Man.* Manricus, & Mendoza. *Mag.* Nomina ipſa teſtantur ingenuam educationem, & generoſos animos. Ita demum eritis vere nobiles, ſi iis artibus excolatis animos, quæ maximè ſunt digniſsimæ claris natalibus: quanto magis ſapitis vos, quam multitudo iſta nobilitatis, qui eo ſe habitum iri generoſiores ſperant, quo imperitius

pin-

pingant litteras. Sed minime eſt hoc mirandum: quandoquidem perſuaſio hæc dementiam nobilitatis iampridem invaſit, nihil eſſe abiectius, aut vilius, quam aliquid ſcire. Ergo videre eſt, illos epiſtolis à librariis ſuis compoſitis ſubſcribentes, id quod legi nullo pacto poteſt, ne ſcias, à quo tibi epiſtola mittatur, niſi ſit à tabellario prædictum, aut ſignum agnoſcas. *Man.* Id modo ego, & Mendoza quærebamur. *Mag.* Sed venitis huc armati? *Man.* Minime vero bone præceptor: vapularemus à veſtris pædagogis, ſi auſi eſſemus arma hac ætate, vel adſpicere, nedum tangere. *Mag.* Ah, ah, non loquor de armis crudelitatis, ſed de iſtis ſcriptoriis, quæ ad præſentem rem faciunt. Habetis thecam pennariam cum pennis? *Men.* Quid eſt rei theca pennaria? an ea, quam nos calamariam nominamus? *Mag.* Ea ipſa: nam antiquiſsimi homines ſolebant ſtylis ſcribere: quibus ſucceſſerunt calami, & potiſsimum Milotici. Agareni, ſi quos vidiſti, harundinibus

ſcribunt à dextra in ſiniſtram, ſicut omnes pene ad orientem nationes: Europa, Græcos ſecuta, contra à ſiniſtra in dextram. *Man.* Etiam Latini? *Mag.* Latini quoque filii, ſed hi à Græcis habent originem, & olim veteres Latini ſcribebant in membrana deletili, quæ vocabatur Palimpſeſtos: 2 tum una tantum facie: nam qui utrinque erant libri conſcripti, epiſtographi dicebantur: qualis fuit Oreſtes ille iuvenalis, 3 ſcriptus & in tergo, nec dum finitus. Sed hæc alias. Nunc ea, quæ inſtant. Anſerinis pennis ſcribimus, aliqui gallinaceis. Veſtræ iſtæ ſunt egregiè habiles: nam ſunt caudæ amplæ, & nitidæ, & firmæ: detrahite plumulas ſcalpello, & detruncate aliquid è cauda: tum eradite, ſi quam habent ſcabriciem: nam lævigatæ fiunt aptiores. *Man.* Numquam ego gero niſi deplumatas, & nitidas: ſed inſtitutor meus docuit me eas leves facere ſaliva, & affricatione adverſum tunicam, vel feminicruralia. *Mag.* Præſens conſilium. *Men.* Doce

nos

nos aptare pennas. *Mag.* Primum omnium reſcindetis utrinque caput, ut fiat bifurcata, tum in ſuperiore parte inciſuram facite ſcalpello ſenſim ducto, quæ crena vocatur: hinc æquate duos illos pedunculos, ſeu mavultis nominare cruſcula, ita tamen, ut altius ſit dextrum, in quod penna ſcribendo incumbit, id tamen diſcrimen vix perceptibile oportet eſſe. Pennam, ſi firmius vis chartæ imprimere, tribus digitis teneto: ſin celerius duobus, pollice, & indice, more Italico. Nam medius inhibet magis curſum, & moderatur, ne ſe immodice effundat, quam adiuvat. *Mag.* Profer atramentarium. *Men.* Hem, cornu atramentarium elapſum eſt mihi venienti. *Mag.* Puer, profer ampullam illam atramentariam: ex ea effundemus in hoc mortariolum plumbeum. *Men.* Sine penniculo? *Mag.* Ita haurias penna liquidius, & commodius, nam in goſſipio, vel filo bombycini, aut lini, eum pennam intingis, adhæret ſemper crenæ fibra aliqua, vel flocculus, in quo

detrahendo ſit mora ſcriptioni: aut, ſi non detrahas, lituras verius effingas, quam litteras. *Men.* Ego ex ſodalium conſilio linteolum Meliteſe indo, aut bombycinum læve, ac tenue. *Mag.* Iſtud vere eſt ſatius. Cæterum multo præſtat, ſolum atramentum infundere in mortariolo quidem fixo: nam, quod circum geſtandum eſt, huic omnino opus eſt penniculo. Cæterum habetis chartam? *Men.* Hanc. *Mag.* Aſperam admodum, & quæ pennam remoretur, ne inoffenſe decurrat, quod eſt ſtudiis noxium. Nam dum luctaris cum ſcabricie chartæ, elabuntur multa ex iis, quæ ſcribenda cogitaveras. Hoc genus chartæ amplæ, denſæ, duræ, ſcabræ librariis relinquite: quæ ideo libraria nuncupatur, quod ex eis fiant ad diuturnitatem libri: nec illam quotidiano uſui paraveris grandem, auguſtanam, ſive imperialem, quæ de rebus ſacris hieratica nominatur: quales videtis in libris ſacrarum ædium: acquirite vobis chartam epiſtolarem, quæ ex Italia affertur

op-

optima, tenuiſsima, & firma: vel vulgarem illam, quam ex Gallia important, quam paſsim invenietis venalem in ſingulos codices nummis octonis plus minus: dabitur vobis pro corollario philura una, aut altera chartæ emporeticæ, quam bibulam dicimus. *Men.* Quæ eſt horum nominum ratio? nam ſæpe dubitavi. *Mag.* Emporetica de Græco venit, ab involvendis mercibus; & Bibula, quod atramentum abſorbeat: ita non erit vobis opus furfuribus, aut ſabulo, vel pulvere de pariete eraſo. Sed omnium optimum eſt, cum per ſe litteræ exſiccantur; eo enim modo diuturniores fiunt. Proderit tamen emporetica, quam ſub manum extendatis, ne ſudores, aut ſordibus maculetis papyri candorem. *Man.* Cedo iam nobis, ſi videtur, exemplar. *Man.* Primum abecedarium, deinde ſyllabatim, tum verba coniuncta, ad hunc modum: Diſce puer, quibus fias ſapientior, & proinde melior. Voces ſunt animorum ſigna inter præ-

ſen-

ſentes, litteræ inter abſentes. Hæc effingite, & redite huc à prandio: vel cras, ut ſcripturam veſtram emendem. *Man.* Faciemus, interea commendamus te CHRISTO. *Mag.* Et ego vos eidem. *Men.* Sedeamus, ut abſque interventu ſodalium, & interpellatione meditemur, quæ à magiſtro hoc accepimus. *Man.* Placet mihi: ita fiat. *Men.* Ventum eſt, quo volebamus. Aſſideamus in his ſaxis. *Man.* Etiam, ſed adverſis à Sole. *Men.* Mutua mihi dimidium chartæ folium, quod reddam cras. *Man.* Sufficit tibi hoc fruſtulum. *Men.* Hui, non capiet ſex verſus, ex meis præſertim. *Man.* Scribe in utraque facie, & duc verſus denſiores: quid neceſſe habes tam magna interſtitia relinquere? *Men.* Ego ne? vix intervallum eſt ullum: nam litteræ ſeſe utrinque attingunt, præſertim, quæ longos habent apices, aut pedes, ut b, & p: ſed, quid tu? iam ne duos verſus exaraſti? & quidem eleganter, niſi quod ſunt pravi. *Man.* Scribe tu ſeorſum, & tace.

*Men.*

*Men.* Enimvero penna, & atramento hoc ſcribi nullo pacto poteſt. *Man.* Quid ita? *Men.* Non cernis, ut penna reſpergit chartam atramento extra litteras? *Man.* At atramentum meum adeo eſt craſſum, ut limum eſſe credas: adſpice, amabo, ut hæret in ſumma crena, nec ad characteres formandos defluit. Quin igitur utrique incommodo medemur, tu de cuſpidibus pennæ reſcinde ſcalpello, quod atramentum comode colligat in litteras: ego in atramentarium, quod ſit atramentum liquidius, inſtillabo guttas aquæ aliquot. *Men.* Immerito potius. *Man.* Oh ne lotium? fœtebit atramentum ipſum & quidquid ſcripſeris: nec facile deinceps odorem hunc elueris è penniculo: optimum eſſet acetum, ſi haberes ad manum: nam hoc vi ſua ſtatim diſrarat denſum atramentum. *Men.* Verum: ſed periculum eſt, ne acrimonia ſua chartam penetret. *Man.* Nihil tale metuas: hæc charta maxime omnium continet atramentum, ne effluat. *Men.* Extre-

mæ

mæ huius tuæ chartæ oræ inæquales ſunt, rugatæ, & aſperæ. *Man.* Demarginato chartam aliquantum forficibus: nam hoc eſt etiam elegantius: aut citra eam aſperitatem ſcribendo ſubſiſte. Tibi ſemper leviſsimæ offenſiones ſatis magno impedimento ſunt, ne pergas: ſed quidquid eſt in manibus, abiicias illico. *Men.* Redeamus iam ad præceptorem. *Man.* Videtur tibi tempus? *Men.* Metuo, ne præterierit iam tempus, nam ſolet mature cœnare. *Man.* Eamus: ingredere tu prior, qui habes minus cordis. *Men.* Immo tu potius, cui minus frontis. *Man.* Vide, ne quis ab illo exeat, qui deprehendat hic nos iocantes, & laſcivientes. Pulſemus fores annulo, etſi patentes: nam hoc fuerit urbanius. At at. *Pu.* Quis iſtic? recta introeas, quiſquis es. *Man.* Nos ſumus: ubi eſt inſtitutor? *Pu.* In conclavi. *Men.* Omnia ſint tibi fauſta, præceptor. *Mag.* Feliciter veneritis. *Men.* Effinximus quinquies, aut ſexies tum exemplar in eadem charta, referimus

hoc

hoc opus noſtrum ad te, emendandum. *Mag.* Recte facitis. Oſtendite: poſthac relinquite maiorem intercapedinem verſuum, ut ſit ubi ego poſsim corrigere veſtra errata ad emendationem. Hæ litteræ ſunt admodum inæquales, quod eſt in ſcribendo fœdum. Animadvertite, quanto n, maius eſt quam e, & c, quam orbis huius p? nam litterarum corpora omnia oportet eſſe æqualia. *Men.* Quid, quæſo, vocas corpora? *Mag.* Media in litteris, præter apiculos, & pedunculos, ſi quos habent: apices habent b, & l: pedes p & q. Iam in eodem m, crura ſunt imparia: primum brevius eſt medio, & nimis magnam caudam trahit ſicuti & illud a: nec ſatis imprimitis pennam chartæ, vix hæret atramentum, nec dignoſcas, quæ ſint elementa. Quod litteras has transformare tentaris in alias, eraſis particulis cuſpide ſcalpelli, magis deturpaſti ſcripturam: ſatius fuiſſet, tenuem lituram inducere, tum & quod ſupereſt verbis in fine ver-

ſus.

ſus transferre in caput ſequentis, modo integræ ſint ſemper ſyllabæ, quas ſecari non patitur lex latinæ ſcriptionis. Auguſtum Cæſarem produnt memoriæ non ſolitum verba dividere, nec ab extrema parte verſuum abundantes litteras in alteram transferre, ſed ibidem ſtatim ſubiicere, & circumducere. *Man.* Nos id libenter imitabimur, quoniam exemplum eſt regis. *Mag.* Recte facitis, quomodo enim aliter approbaretis vos, ex illius eſſe ſatos ſanguine? Sed, ne coniungatis omnes litteras, nec omnes ſeparetis. Sunt, que vinciri inter ſe poſtulent, ut caudatæ cum aliis, velut a, l, u: item haſtatæ ut f, & t. Sunt, quæ recuſent, nempe orbiculatæ, p, o, b. Quantum poteritis, recto capite ſcribite: nam inflexo, atque incumbenti, deffluunt humores ad frontem, & oculos: unde morbi naſcuntur multi, & videndi imbecillitas. Accipite alterum exemplar, quod exprimatis Deo propitio. 5

*Sed propera, nec te venturas differ in horas.* Qui

*Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.* Et aliud:
*Currant verba licet, manus eſt velocior illis:*
*Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.*

*Men.* Viſne etiam, ut lituram hanc reddamus? *Mag.* Lituram ſane, modo & alia probe exarata. *Men.* Interea optamus te bellisſime valere.

---

1 *Lib.* 1. *c.* 2. *circa fi.* 2 *Palimpſeſtos* : *i* : *charta deletilis.* 3 *Sat.* 1. 4. *Bombycinum*, *tafetan vulgo.* 5. *Ovid.* 1. *de rem. Amo.*

---

## VESTITUS, ET DEAMBULATIO matutina.

*Bellinus*, *Maluenda*, *Ioannius*, *Gomezulus.*

MAl. Nempe hæc aſsidue? iam clarum mane feneſtras intrat: Stertimus indomitum quod deſpumare Falernum ſufficiat. 1

*Bel.*

*Bel.* Apparet profecto inſanire te: nam alioqui nec tam multo mane eſſes experrectus, nec verſus funderes, & quidem ſatyricos, quo manifeſtius rabiem tuam patefacias. *Mal.* Accipe ergo epigrammatarios, edentulos, & ſalſos:

*Surgite, iam pueris vendit ientacula piſtor,*

*Criſtatæque ſonant undique lucis aves.*

*Bel.* Iſtud de ientaculo citius mihi ſomnum excuteret, quam clamores tui. *Mal.* Feſtiviſsime nugator, precor tibi felicem hunc diem. *Bel.* Et ego tibi fauſtam noctem, & bonum cerebrum, ut ſimul & dormire poſsis, & ſoluta oratione loqui. *Mal.* Quæſo te, ſerio reſponde, ſi modo ſerio potes umquam loqui: quam horam cenſes nunc eſſe? *Bel.* Medium noctis, vel plus paullulum. *Mal.* In quo horologio? *Bel.* In meo domeſtico. *Mal.* Ubi tandem eſt tuum horologium domeſticum? tu ut horologium umquam habueris, aut inſpexeris, cui omnis hora eſt ſemper dormiendi, edendi, ludendi, ſtu-

ſtudendi vero numquam? *Bel.* Atqui hic ego habeo horologium mecum. *Mal.* Ubi? oſtende. *Bel.* In meis oculis: vide, ut nulla vi aperiri poſſint: obdormi rurſus obſecro, aut certe tace. *Mal.* Quid, malum, eſt caroſis hæc, ſeu verius lethargus, & mors quædam? quamdiu putas nos iam dormiſſe? *Bel.* Horas duas, vel ad ſummum tres. *Mal.* Tres ternas. *Bel.* Qui fieri iſtud poteſt? *Mal.* Gomezule, i curriculo ad ſolarium Franciſcanorum, & contemplare, quota ſit hora. *Bel.* Apage ſolarium, cum Sol nondum ſit ortus. *Mal.* Ortus vero? aperi feneſtram iſtam vitream, heus tu, puer, ut verberet Sol huius oculos ſuis radiis, plena ſunt iam Sole omnia, & umbræ minores. *Bel.* Quid tibi eſt rei cum ortu Solis, & Occaſu? ſine illam priorem te ſurgere cuius maius eſt conficiundum iter diurnum. Gomezule, curſim contendito ad D. Petri, ibi adſpicito, & in horologio machinali, quæ ſit hora, & in gnomone. *Gom.* Utrumque ſum in-

intuitus: in ſolario parum abeſt umbra à ſecunda linea, in horologio digitus indicat horam, paullo plus quinctam. *Bel.* Quid narras? aliud ergo agendum reſtat tibi, ut hic ſiſtas mihi fabrum ferrarium ex vico Lapideo, qui forcipe diſiungat has palpebras tam affixas: dic ei, revellendam eſſe è foribus ſeram aliquam, cuius ſit amiſſa clavis. *Gom.* Ubi nam habet? *Mal.* Iſte vero ſerio accerſeret. Deſine iam nugari, & ſurge. *Bel.* Surgamus tandem, quando ita obſtinaſti animo. Vah, quam es odioſus ſodalis. Exſuſcita me, CHRISTE, ex ſomno peccati, ad vigiliam iuſtitiæ, transfer me ex nocte mortis ad lucem vitæ. Amen. *Mal.* Feliciter tibi procedat hæc lux. *Bel.* Et tibi hæc eadem, & aliæ quamplurimæ lætæ, ac fauſtæ: hoc eſt, ut eam ita tranſigas, ne cuius virtutem lædas, neu quis tuam. Puer, afferto ſubuculam mundam, nam hanc iam totos ſex dies geſtavi: hem, arripe pulicem illum ſaltitantem. Omitte nunc venatio-

nem

nem pulicarem, quantulum erit pulicem unum in cubili hoc extinxiſſe. *Mal.* Quantum guttam unam aquæ Diliæ 3 huic adimere. *Bel.* Immo vero mari ipſi Occeano. 4 Nolo hanc ſubuculam collari rugato, ſed alteram illam plano: nam rugæ hæ, quid aliud ſunt hoc tempore, quam nidi, aut receptacula pediculorum, & pulicum? *Mal.* Inepte, exiſtes repente dives, habebis pecus album, & pecus nigrum. *Bel.* Peculium numeroſum magis, quam quæſtuoſum; & comites quos malim ſemper videre in vicinia, quam domi meæ. Iube famulam reſuere latera huius ſubuculæ, & quidem filo ſerico. *Gom.* Non habet. *Bel.* Lineo igitur, aut laneo, aut etiam, ſi ita lubet ei, ſparteo: numquam famula hæc habet, quod eſt opus: quod vero non eſt opus, affatim: te vero, Gomezule, volo ego eſſe divinatorem: exſequere mandatum meum, & renuncia: ne arioleris, quid ſit futurum. Excute pulverem è feminicruralibus concuſſu, hinc purga di-

diligenter muſcario 5 illo ſetaceo, udones 6 dato itidem mundos: nam hi ſunt iam exſudati, & pedore olidi, amove eos iſtinc, continuo offendit me fœtor graviſſimè. *Go.* Vis interulam? 7 *Bel.* Non, nam ex luce Solis colligo diem fore calidam: ſed cedo mihi thoracem illum dimidiis manicis ſerici gauſapini, 8 & tunicam ſimplicem fuſtadicam, 9 cum vinculis veſtiariis 10 oblongis. *Mal.* Immo fuſtanicam. 11 Quid iſtuc rei eſt? quo nam ire cogitas, ut tam ornes te præter morem tuum, præſertim cum ſit dies profeſtus? & poſcis ligulas devinctorias caſtrenſes. *Bel.* Et tu cur induiſti bombycinam lævem, recentem ab officina, cum habeas capripiliam, 12 & damaſcenam detritam? *Mal.* Dedi hæc reſarcienda. *Bel.* Ego vero in hiſce meis magis commoditatem ſpecto veſtitus, quam ornatum: uncinuli iſti, & orbiculi 13 ſunt luxati, tu improbe, inconſiderate ſemper diſſolvis. *Mal.* Ego potius utor globulis, & ocel-

lis,

lis, quod eſt decentius, & minus in induendo, & exuendo moleſtum. *Bel.* Non eſt idem omnium iudicium in his, ut in reliquis omnibus. Pectorale hoc tunicæ condito in arcam, nec proferas tota æſtate: adſtrigmenta hæc ſtrenue ſunt exarmata ſuis ferris: limbus hic eſt diſſutus, & diſcerptus, cura reſarciendum: ſed vide, ne aſſuantur deformes commiſſuræ. *Gom.* Non poterit id perfici ante ſeſquihoram. *Bel.* Affige ergo acicula, ne pendeat: dato periſcelides. *Gom.* Adſunt: calceolos cum crepidis longi obſtraguli paravi tibi, pulvere bene excuſſo. *Bel.* Calceos potius exterge ſitu, ac nitida. *Mal.* Quid eſt ligula in calceo? de qua inter Grammaticos fuit controverſia peracerba, ut ſolet de omnibus, dicendum eſſet Ligula, an Lingula. *Bel.* Illa aſſuitur calceis Hiſpanicis in ſumma planta, 14 hic non habent. *Mal.* Et in Hiſpania iam deſueſcunt apponere, calceatu Gallico. *Bel.* Accommoda mihi tuum pectinem eburneum. *Mal.* Ubi eſt tuus lig-

E neus,

neus, & quidem Pariſienſis? *Bel.* Non audiſti me heri obiurgantem Gomezulum? *Mal.* Obiurgare vocas tu ferire? *Bel.* Hoc illud erat, fregerat quinque, aut ſex radios pectinis ex denſis, ex raris pene omnes. *Mal.* Legi nuper ſcriptorem quendam præcipere, ut eburneo pectine pectamus caput, quadragies ducto à brechmate ad verticem, & inde ad occipitium. Quid agis? hoc non eſt pectere, ſed mulcere, cedo pectinem. *Bel.* Neque iſtuc eſt pectere, ſed adere, aut verrere: credo habere te caput teſtaceum. *Mal.* Et ego te butyraceum, adeò non audes attingere. *Bel.* Vin tu igitur, ut mutuo arietemus capita? *Mal.* Nolo tecum contendere inſania, nec committam bonam mentem meam cum tua dementia. Ablue iam tandem manus, & faciem; ſed os potiſſimum, ut mundius loquaris. *Bel.* Utinam adeo cito animum perpurgarem, ut manus: dato malluvium. *Mal.* Confrica paullo diligentius nodos iſtos manus, quibus

hærent ſordes denſiſsimæ. *Bel.* Falleris; nam puto eſſe potius decoloratam pellem, & rugatam. Abiice has malluvias, Gomezule, in cloacam illam, & cedo mihi reticulum, & pileum clavatum: 15 affer iam ocreas. *Go.* Itinerarias ne? *Bel.* Non, ſed urbanas. *Go.* Vis cucullionem, 16 an pallam? 17 *Bel.* Sumus foras prodituri? *Mal.* Quidni? *Bel.* Affer igitur lacernam. 18. *Mal.* Prodeamus iam tandem, ne amittamus è manibus deambulandi tempus. *Bel.* Duc nos, CHRISTE, per vias tibi gratas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritu- Sancti. Amen. O quam formoſa Aurora, vere roſea, & (ut poetæ vocant) aurea: quam gaudeo me ſurrexiſſe? exeamus urbe. *Mal.* Exeamus: nam ego hac tota hebdomada pedem porta non extuli: ſed, quo ibimus primum? inde qua? *Bel.* Ad arcem, an ad mœnia Cartuſiana? *Mal.* An potius ad prata D. Iobi? *Bel.* Minime illuc de mane, ad ſerum potius. *Mal.* Ad Cartuſianos ergo per

Franciſcanos, & Biſtum, inde per portam Bruxellenſem, tum redibimus per Cartuſianos, ad rem divinam. Ecce tibi Ioannium. Sis ſalvus, Ioanni. *Io.* Et vos plurimum. Quid iſtuc eſt inſolitum? tam bene mane ſurrexiſti? *Bel.* Ego vero arctiſsimo ſomno eram conſopitus: ſed Mäluenda hic clamando, & tundendo, avellit me è lectulo. *Io.* Recte fecit: nam totum te reficiet, ac recreabit hæc deambulatio. Eamus ad pomerium: ò admirabilem, & adorandum artificem tantæ pulchritudinis! non immerito vocatur opus hoc mundus, & à Græcis *Coſmos*, quaſi ornatus, & elegans. *Mal.* Ne contente deambulemus, ſed lente, ac molliter. Conficiamus, quæſo, in hac mœniali ambulatione duo, aut tria ſpatia, ut otioſius, & liberius tam decoram ſpeciem contemplemur. *Io.* Attende: nullus eſt ſenſus, qui non egregia aliqua voluptate perfundatur: oculi primum, quæ varietas colorum, qui veſtitus terræ, & arborum, qui tape-
tes,

tes, quæ picturæ comparari huic poſſunt? hæc ſunt naturalia, & vera, illa altera ficta, & falſa. Non iniuria vates ille Hiſpanus 19, Maium appellavit pictorem mundi. Iam aures, qui concentus avium, & potiſsimum luſciniæ? auſculta eam è ſalice, à qua (ut Plinius 20 inquit) perfectæ Muſicæ ſcientiæ modulatus editur ſonus. Animadverte accurate, & annotabis varietates omnium ſonorum: nunc non interquieſcit, ſed continuo ſpiritu in longum æquabiliter, ſine mutatione: nunc inflectitur: iam minutius, & conciſius canit: nunc intorquet, & quaſi criſpat vocem: nunc extendit, iam revocat: alias longos concinit verſus, quaſi heroicos: alias breves, ut ſaphicos: interdum breviſsimos, ut adonicos. Quinetiam quaſi Muſicæ ludos, & ſcholas habent. Meditantur aliæ iuniores, verſuſque, quos imitentur, accipiunt. Audit diſcipula intentione magna (utinam nos præceptores noſtros pari) & reddit, vicibuſque reticent. Intelli-

gitur emendate correctio, & in docente quædam reprehenſio. Sed illas ducit natura recta, nos voluntas prava. Adde his, qui odor ſpirans undique, ſive ex pratis, ſive ex ſegetibus, ſive ex arboribus, etiam ex ipſis agris ceſſantibus, & ſqualidis. Sapor, quicquid ori admoveas, vel ex ipſo aere, qualis primi, & tenerrimi mellis. *Mal.* Hoc puto eſſe, quod à nonnullis audivi, apes conſueſſe mel ſuum colligere menſe Maio, ex cæleſti rore. *Ioan.* Ea fuit multorum opinio. Si aliquid vis dari tactui, quid mollius, aut ſalubrius hac aura ubique ſpirante? quæ ſalutari ſpiritu per venas, & univerſum corpus ſeſe inſinuat. Venit mihi nunc in mentem verſuum aliquot Virgilii de vere, quos utique cantilabo, ſi me poteſtis ferre voce mea, non olorina, ſed anſerina, tametſi hanc malo, ſi non alias cycnus canit dulce, niſi fato ſuo proximus. *Bel.* Ego quidem, ut pro me reſpondeam, vehementer eos verſus aveo audire, qualicumque voce, modo

etiam

etiam exponas eos nobis. *Mal.* Nec ego ab hoc diſſentio. *Ioan.* 21

*Non alios prima creſcentis origine mundi,*
*Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem*
*Crediderim: ver illud erat: ver magnus agebat*
*Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri.*
*Cum primum lucem pecudes hauſere, virumque*
*Ferrea progenies duris caput extulit arvis,*
*Immiſſaque feræ ſilvis, & ſidera cælo.*
*Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,*
*Si non tanta quies iret, friguſque, caloremque*
*Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.*

*Bel.* Non ſatis intellexi. *Mal.* Ego, ut reor, multo minus. *Ioan.* Ediſcite nunc eos, alias intelligetis: ſunt enim deſumptis ex intima Philoſophia, ut alia vatis illius permulta. *Mal.* Quæramus ab Orbilio 22 lit-

teratore, quem habemus obvium. *Ioan.* Immo eſt homo non admodum obvius: ſalutemus modo, & ſinamus abire hominem rabioſum, & plagoſum ingentis ſupercilii, imbutum 23 magis litteris, quam eruditum, tametſi perſuaſit ſibi ſerio, ſe eſſe litteratorum alpha. Cæterum diximus de corpore: quid porro animum, & mentem, quantopere exhilarat, & excitat huiuſmodi Aurora? nullum eſt tempus ad ediſcendum æque idoneum, nullum ad percipiendum, continendumque quæ audias, quæque legas, nec aliud ad meditandum, & excogitandum, quocumque applicaris animum: non immerito quidam dixit, Aurora gratiſsima Muſis. *Bel.* Sed ego iam exſtimulor appetentia: redeamus domum ientatum. *Mal.* Quid tandem? *Bel.* Panem, butyrum, ceraſa, pruna cereola: quæ tantopere videntur noſtris Hiſpanis placuiſſe, ut illarum nomine pruna omnia nuncupent: vel, ſi hæc non ſint domi, decerpemus folia aliquot bugloſſæ,

&

& ſalviæ, quæ addamus butyro. *Mal.* Bibemus vinum? *Bel.* Minime vero, ſed cerviſiam, & quidem tenuiſsimam, ex flava iſta Lovanienſi; vel aquam puram, & liquidam, hauſtam è fonte Latino, aut Græco. *Mal.* Quem tu fontem Latinum vocas, quem Græcum? *Bel.* Illum, qui iuxta portam eſt, Græcum ſolet nominare Vives: ulteriorem illum, Latinum: cauſas ipſe reddet tibi, cum illum convenies.

---

1 *Perſ. Sa.* 3. 2 *Mart. l.* 4. *in fin. lib.* 5 *Dilia, fluvius eſt Lovanii.* 4 *Fex, vulgus populi videtur.* 5 *Muſcarium ſetaceum, ſcopula vocatur vulgo.* 6 *Udones, ſunt calceoli lintei.* 7 *Interula, eſt induſium ſubuculæ proximum, quod per hyemem geſtatur.* 8 *Sericum gauſapinum, vulgo velludo.* 9 *Fuſtagnica, eſt pannus levis, qui in Britannia texitur.* 10 *Vincula veſtaria, ſunt adſtrigmenta.* 11 *Fuſtanica, pannus ex goſsipio, qui texitur in Germania.* 12 *Capri-*

*piliam, quæ vulgo undulata.* 13 *Orbiculi, Uncinuli, Globuli, Ocelli, hæc omnia ſunt quibus ad pectus, & manicas, veſtes adſtringuntur.* 14 *Mar. li.* 14. 15 *Pileum clavatum, clavis vel aureis, vel eiuſmodi affixis.* 16 *Cuculio, pallium Hiſpanicum.* 17 *Palla veſtis eſt longa & lata.* 18 *Lacerna, pallium itinerarium.* 19 *Vates Hiſpan. Ioan. Mena.* 20 *Pli. lib.* 10. *c.* 29. 21 *Geor.* 2. 22 *Huius nominis fuit Horatii præceptor, quem ipſe epiſ.* 1. *li.* 2. *Plagoſum appellat.* 23 *Imbutum, intinctum, perfuſum.*

## DOMUS.

*Iocundus, Leo, Vitruvius.*

IOcundus. Eſt tibi notitia cum inſulario amplæ, atque elegantis huius inſulæ? *Leo.* In primis, & eſt aſſeclæ patris mei admodum propinquus. *Ioc.* Rogemus eum, ut nobis eam omnem patefaciat;

nam.

nam ferunt nihil fieri poſſe amœnius, nec delectabilius. *Leo.* Adeamus, pulſemus fores tintinnabulo, ne irrumpamus inexpectati. At, at. *Vitr. Inſul.* Quis iſtic? *Leo.* Ego ſum. *Vitr.* O ſalve multum, puſio dulciſsime: unde tu nunc? *Leo.* E ludo. *Vitr.* Qua igitur gratia huc? *Leo.* Sodalis hic meus, & ego vehementer cupimus haſce ædes viſere. *Vitr.* Numquam ſpectaſti? *Leo.* Non totas. *Vitr.* Ingredimini. Heus, puer, affer mihi claves oſtiorum domus. Primum hoc eſt veſtibulum: patet ſemper interdiu, abſque ianitore, quod nec intra domum eſt, nec tamen extra; noctu clauditur. Conteplamini portam magnificam, valvas è robore munitas ære, utrumque limen, & infernum, & ſupernum, ex marmore alabaſtrite. Olim Hercules ſolebat præfigi oſtio domus: ille *Alexicacos*: hic eſt Chriſtus, verus Deus: nam Hercules erat crudelis homo, & maleficus: hoc cuſtode nihil mali ingredietur in ædes. *Ioc. Uden ò deſpotes autos. Vitr.*

Quid dixit Græce? *Ioc.* Quod, cur tam multi ingrediuntur mali? *Vitr.* Etiam ſi mali ingrediuntur, nihil tamen inferunt mali. *Leo.* Non utimini cardinibus? *Vitr.* Deſit eſſe mos apud quaſdam nationes. Sequitur oſtium atrii, quod atrienſis ſervus cuſtodit, præcipuus in familia, ut mediaſtinus extremus. Tum atrium ſpatioſum ad deambulandum, multæque, ac variæ in eo picturę. *Ioc.* Quænam, quæſo? *Vitr.* Illa eſt cæli facies ichonographica, illa terræ, & maris orthographica, illa orbis nuper Hiſpanis navigationibus aperti ſciographica, in tabella illa eſt Lucretia ſe interficiens. *Ioc.* Quid, quæſo, dicit? nam moriens, ut videtur, loquitur. *Vitr.* Multæ hoc mirantur, quia non cuique tantum dolet. *Ioc.* Intelligo, quid dicat. *Leo.* Quid ſibi vult tabella illa, tam varie delineata? *Vitr.* Ea eſt graphis huius ædificii: reduc à tabula hac velum. *Ioc.* Quid hoc eſt rei, vetulus ſuggens papillam fœminæ? *Vitr.* Non legiſti exemplum hoc apud Valerium

Ma-

Maximum, titulo de pietate? *Ioc.* Legi: quid dicit illa? *Vitr.* Nondum tantum rependo, quantum accepi. *Ioc.* Quid ille? *Vitr.* Iuvat genuiſſe. Adſcendamus has ſcalas cochlides: ſinguli gradus lati, ut cernitis, ex ſingulis ſunt ſaxis marmoris Baſaltis. Hæc prima contignatio habitatio eſt domini, cœnaculum ſuperius hoſpitale eſt: non, quod herus meus faciat cœnaculariam 1, quod abſit: ſed paratum eſt hoſpitibus amicis, ornatum, ſemper inſtructum, & vacuum, niſi cum adſint hoſpites. Hoc eſt triclinium. *Ioc.* Bone Chriſte, quæ feneſtræ ſpeculares, quam ſcite depictæ pictura ſciographica? qui colores, quam vividi, quæ tabulæ, quæ ſigna, quæ coaſſatio? Quænam eſt hiſtoria vitrearum? *Vitr.* Fabella Gryſelidis, quam apte, & ingenioſe confinxit Ioannes Boccacius Florentinus: ſed herus meus decrevit addere rei fictæ rem veram, de Godelina Flandrenſi, & Catharina Angliæ Regina, quæ ſuperat inventum Gryſe-

ſe.

ſelidis. Signa ſunt, primum illud Pauli Apoſtoli. *Ioc.* Quod eſt lemma? *Vitr.* O quantum tibi nos debemus, tu Chriſto? *Ioc.* Quid ipſe loquitur? *Vitr.* Gratia DEI ſum, quod ſum: & gratia DEI in me vacua non fuit. Alterum illud eſt Mutii Scęvolę. *Ioc.* Nec is eſt mutus etiam ſi Mutius: quid mutit? *Vitr.* Non incendet, inquit, me hic ignis, quoniam alius maior ardet intus. Tertium ſignum eſt Helenę, titulus eſt: Utinam fuiſſem ſemper talis, minus nocuiſſem. *Ioc.* Quid ſignat cęcus ille ſeniculus recalvaſter, indice ad Helenam verſo? *Vitr.* Homerus eſt, dicit Helenę: Quę male tu feciſti, ego bene cantavi. *Ioc.* En lacunar eſt deauratum, admiſtis margaritis. *Vitr.* Margaritę quidem ſunt, ſed pretii exigui. *Ioc.* Quo ſpectant feneſtrę? *Vitr.* Hæ in hortos, illę in impluvium, hęc eſt dieta, ſeu ęſtiva cœnatio: en vobis cubiculum, & conclave: cubiculum ornatum eſt tapetibus, pavimento contabulato, ſtoriis tecto: & imagines aliquot

di-

divę Virginis, Chriſti ſalvatoris: illę alterę ſunt Narciſsi, Euryali, Adonidis, Polixenę, qui dicuntur fuiſſe formoſiſsimi. *Ioc.* Quid ſcriptum eſt in limine ſuperiore oſtii? *Vitr.* Recipe te in portum tranquillitatis affectuum. *Ioc.* Quid in interiore poſte forium? *Vitr.* Ne induxeris in portum tempeſtatem. In conclavi illo clauſo aſſervantur fere prima utenſilia. *x*. Hoc alterum membrum eſt hibernum? vides omnia obſcuriora, & magis tecta tum hypocauſtum. *Ioc.* Amplius mea ſententia, quam pro cœnatione. *Vitr.* Non animadvertis etiam cubiculum interius eodem vaporario excalfieri? *Ioc.* Dicunt cubicula eſſe calidiora, ubi nullum ſit fumale. *Vitr.* Non ſolent eſſe in ęſtuariis. *Ioc.* Quę eſt illa camera, tam eleganter fornicata? *Vitr.* Lararium, ſeu ſacellum, ibi agitur res divina. *Ioc.* Ubi latrina? *Vitr.* Superne, in granario habemus foricam, ne oleat: in cubiculis enim ſcaphis utitur herus meus, & trullis, & matulis. *Ioc.* Turriculę illę, & pyrami-

mides, & pilę, & indices ventorum, omnia qua venuſtate, quam admirabili arte? *Vitr.* Deſcendamus: hæc eſt culina, hoc promptuarium, hæc cella vinaria, illa penuaria: in qua mire infeſtamur rapacitate furum. *Ioc.* Qua tandem eſt huc furibus ingreſſus? omnia video probe clauſa, & feneſtra cum clathris ferreis. *Vitr.* Per rimulas, & foramina. *Leo.* Mures ergo ſunt, & muſtelæ, quæ nobis univerſam penum diripiunt. *Vitr.* Illud eſt poſticum domus, clauſum ſemper duabus ſeris, affixa, & penſili, niſi cum adeſt dominus. *Leo.* Cur feneſtræ hæ non habent cancellos? *Vitr.* Quoniam raro aperiuntur: ſpectant enim ad anguſtum angiportum, ut cernis, & obſcurum: raro quiſquam hic aſsidet, aut profert caput, ideo, & clathrare eas ſtatuit herus meus. *Leo.* Quibus clathris? *Vitr.* Fortaſſe ligneis: nondum eſt certum: interea repagulum hoc ſufficit. *Ioc.* Quam amplæ columnæ, & porticus plena maieſtatis! vide, ut Athlantes illi,

&

& Caryatides ſpeciem præferunt enitentium, ut fulciant ædificium, ne ruat, cum nihil agant. *Leo.* Tales ſunt multi, qui magna videntur præſtare, cum otioſi, & ſegnes vivant, fuci, fruentes alienis laboribus. Sed, quænam eſt domus illa inferior, huic adiuncta, tam male materiata, & ruinoſa? *Vit.* Eſt vetus ædificium, quod quia ducebat rimas 3, & vitium faciebat ingens, herus meus decrevit hanc alteram à fundamentis erigere: illa nunc nidulatio eſt avium; & habitatio murium: ſed breviter eam demoliemur.

---

1 *Facere cœnaculariam, locare cœnacula, & inde quæſtum facere.* 2 *Prima utenſilia, quæ parata ſervantur, quum uſus poſcat.* 3 *Alias rimoſa.*

SCHO-

# SCHOLA.

*Tiro, Spudæus.*

TIRO. Quam elegans gymnaſium, & magnificum? haud eſſe in Academia hac reor ullum præſtantius. *Spud.* Rectiſsime iudicas: adde etiam, quod magis ad rem facit, nec alibi etiam eruditiores magiſtros, aut prudentiores, quique maiore dexteritate tradant doctrinam. *Tir.* Oportet igitur magnæ hic fieri diſciplinarum operæ pretia. *Spud.* Et quidem magnis compendiis diſcendi. *Tir.* Quanti docent? *Spud.* Amove te hinc ocius, cum interrogatione iſta tam prava, tamque importuna: in re tanti momenti inquirendum eſt de mercede? nec ipſi, qui docent, paciſcuntur: nec diſcipulos convenit id vel cogitare: ecquod pretium poteſt eſſe par? numquam ne Ariſtotelicum illud fando audiviſti: Diis,

Diis, parentibus, & magiſtris, parem gratiam non poſſe rependi? Deus creavit totum hominem, parens genuit corpus, magiſter format animum. *Tir.* Quid docent iſti, & quamdiu? *Spud.* Habent ſua ſinguli auditoria ſeparata, & ſunt doctores varii. Alii prima elementa artis Grammaticæ laborioſe, atque ærumnoſe pueris toto die ingeminant: alii penitiora tradunt artis: alii Rhetoricem, Dialecticem, & reliquas diſciplinas enarrant, quæ Liberales, ſeu Ingenuæ dicuntur. *Tir.* Cur eo nomine? *Spud.* Quia illis decet unumquemque ingenuum imbui, contra, quæ ſunt illiberales, circumforaneæ, ſordidæ, quæ vel labore corporum, vel manibus exercentur, ſervis potius congruunt, & hominibus, qui ingenio parum valent. In iſtis ſunt alii tirones, alii batalarii. *Tir.* Quid iſtuc verbi eſt? *Spud.* Et tirones, & batalarii ex militia ſunt nomina deſumpta: tiro vetus eſt verbum, de eo qui in militia exerceri incipit: batalarius, Gallico nomine, di-

dicitur is miles, qui iam ſemel prælio (quod illi batallam vocant) interfuit collatis ſignis, & manum conſervit cum hoſte; ita, in palæſtra literaria batalarius cœpit nuncupari Lutetiæ is, qui publice de arte quapiam diſputaſſet. Hinc deſignantur doctores, quos, à licencia, Licentiatos appellant, melius Deſignati dicerentur: poſtremo Docturam adipiſcuntur, impoſito in celebritate Academiæ pileo, ut quaſi donetur libertate, & fiat emeritus. Is eſt hic ſupremus honor, & ſummus dignitatis gradus. *Tir.* Quis eſt ille in tanto comitatu, quem clavarii præcedunt cum clavis argenteis? *Spud.* Is eſt Rector Academiæ: multi eum affectantur officii gratia. *Tir.* Quoties in die docentur pueri? *Spud.* Aliquot horis: una pene antelucana, duabus matutinis, & duabus promeridianis. *Tir.* Tamdiu? *Spud.* Ita fert mos, & vetus Academiæ inſtitutum: quin, & diſcipuli duabus horis, quæ à magiſtris acceperunt, retractant, & recolunt,

&,

&, quaſi manſum cibum, ruminant. *Tir.* Tantis clamoribus? *Spud.* Nunc ſe exercent. *Tir.* Ad quidnam? *Spud.* Ad diſcendum. *Tir.* Immo vero ad clamandum: videntur enim non diſciplinam meditari, ſed præconium. Et ille alter plane furit; nam, ſi haberet ſanum cerebrum, nec ita vociferaretur, nec geſticularetur, nec ſe torqueret. *Spud.* Hiſpani ſunt, & Galli, paullo ferventiores: & ut ſunt diverſorum dogmatum, tanto ardentius concertant, quaſi pro aris, & focis, ut dicitur. *Tir.* Quid? doctores hic ſequuntur diverſa ſcita? *Spud.* Interdum tradunt placita contraria. *Tir.* Quos auctores interpretantur? *Spud.* Non eoſdem omnes, ſed ut quiſque eſt peritia, & ingenio præditus. Eruditiſsimi, & acerrimo iudicio ſcriptores ſibi ſumunt optimos quoſque, & eos, quos Claſsicos vos grammatici appellatis: ſunt, qui ex ignorantia meliorum ad proletarios deſcendunt, atque etiam capite cenſos. Ingrediamur, oſtendam vobis publi-

blicam gymnaſii huius bibliothecam. Hæc eſt bibliotheca, quæ ex magnorum virorum præcepto ad ortum æſtivum ſpectat. *Tir.* Papæ, quantum librorum, quantum bonorum auctorum! Græci, Latini, Oratores, Poetæ, Hiſtorici, Philoſophi, Theologi, & imagines auctorum! *Spud.* Et quidem quantum effici potuit ad vivum expreſſæ, atque eo pretioſiores: foruli omnes, & plutei querni, aut cupreſſini, cum ſuis catenulis: libri ipſi plerique omnes membranacei, & variis coloribus miniati. *Tir.* Quis eſt primus ille ruſticano ore, naſo repando? *Spud.* Lege titulos. *Tir.* Socrates eſt, & dicit: Cur in bibliotheca collocor, qui nihil ſcripſi? *Spud.* Reſpondent ſequentes, Plato, & Xenophon: quia, quod alii ſcriberent, dixiſti. Longum eſſet perſequi ſingulos. *Tir.* Hem, qui ſunt illi abiecti in grandi illa ſtrue? *Spud.* Catholicon, Alexander, Hugucio, Papias, ſermonaria dialecticæ, & phyſicæ, ſophyſticæ: hi ſunt, quos Capite

cen-

cenſos nominabam. *Tir.* Immo capite diminutos. *Spud.* Soluta ſunt omnia, tollat qui volet, moleſto nos liberabit onere. *Tir.* Vah, quot aſinis eſſet opus ad iſtos aſportandos! miror non eſſe ablatos, cum tanta ſit ubique aſinorum frequentia. Aliquando in eundem cumulum coniicientur Bartoli, & Baldi, & huius farinæ homines. *Tir.* Immo furfuris. *Spud.* Non id eſſet humanæ tranquillitati damnoſum. *Tir.* Heus, quid rei ſunt illi in tam fluxis cuculionibus? *Spud.* Deſcendamus. Batalarii ſunt, qui in palæſtram ingrediuntur altercatoriam. *Tir.* Quæſo, introduc nos illuc. *Spud.* Ingredere, ſed tacite, ac reverenter. Aperi caput, & ſpecta attentus ſingula: nam magnis de rebus diſſeritur, & quas plurimum conducat cognoſcere. Ille, quem ſedentem adſpicis ſublimen ſolum, & præſes eſt certaminis, & contentionum decretor, quaſique agonotheta. Primum eius munus eſt loca concertantium deſignare, ne ulla ſit confuſio, aut perturbatio

preire

præire volentium. *Tir.* Quid ſibi vult pellitum epitogium? *Spud.* Ea eſt epheſtris doctoralis, inſigne ordinis, ac dignitatis illius. Homo eſt in paucis eruditus, quique, & in lectione candidatorum Theologiæ primas tulit, & ad eum doctiſsimus quiſque primas defert hoc ordine. *Tir.* Et Baldum aiunt lectum eſſe primum ſuo anno. *Spud.* Is vero vicit competitores omnes ambitu, & aſtu, non ſcientia. *Tir.* Quis eſt macilentus ille, & pallidus, quem reliqui impetunt? *Spud.* Is eſt propugnator, qui impetum omnium ſuſtinet: & ex immodicis vigiliis maciem, ac palorem contraxit: magnos is habet in re Philoſophica, & Theologica progreſſus. Au, tace iam, & auſculta; nam qui nunc oppugnat, acutiſſime, ac ſubtiliſsime ſolet excogitare argumenta, & acerrime urget propugnatorem, omniumque ſententia cum ſummis in hac diſciplina comparatur, & ſæpe adigit concertatorem ad recantandum. Perpende, quomodo ille conatus eſt

eſt eludere: quomodo alter confutavit valide, ratione inconfutabili, & quam ille diluere non poterit: iam, & iaculum hoc eſt inevitabile, argumentum eſt plane Achilles invincibilis, iugulum petit, non poterit propugnator ſe tueri, ſtatim dabit manus, niſi ſubterfugium aliquod mittat ei divus aliquis in mentem. Hem, profligata eſt quæſtio, ſollertia decretoris. Iam ſolvo tuam linguam, loquere quantum voles: nam iſte, qui nunc impugnat, vappa eſt, pugione pugnat plumbeo, & altius tamen clamat, quam cœteri. Obſerva, videbis eum à pugna raucum diſcedere: hoc eſt ei perpetuum, &, quantumcumque repulſa ſint eius tela, urget nihilo ſecius pertinaciter quidem, ſed ineſficaciter: nec umquam vult habere argumentum ſuum pro derelicto, nec acquieſcere vel defendentis reſponſione, vel decreto præſidis. Is, qui nunc certamen ingreditur, delicatule petit veniam à decretore, comiter præfatur, argumentatur in-

valide, diſcedit ſemper feſſus, etiam anhelans, tamquam arduo munere fortiter perfunctus, diſcedamus.

## CUBICULUM, ET LUCUbratio.

*Plinius, Epictetus, Celſus, Didymus.*

PLinius. Hora eſt à meridie quincta: heus Epictete, claude mihi feneſtras illas, & infer huc lumina ad lucubrandum. *Epi.* Quæ lumina? *Plin.* Interea, dum hi adſunt, candelas ſebaceas, ut cereas: ubi receſſerint, tolletis eas, & ſtatuetis hic mihi lychnum. *Cel.* Quorſum id? *Plin.* Ad lucubrandum. *Cel.* Quin ſtudes potius de mane? tum enim videtur, & temporis ratio, & qualitas corporis invitare, cum eſt minimum vaporum in cerebro peracta concoctione illa evaporatoria. *Plin.* Etiam hæc hora tranquilliſsima eſt, cum quieſcunt, & ſilent omnia, atque iis,

iis, qui prandent, & cœnant, non incommoda. Nam ſunt, qui cœnant tantum, more priſco, alii prandent ſolum ex placitis recentium medicorum, alii & prandent, & cœnant more Gothico. *Cel.* An non ante Gothos erant prandia. *Plin.* Erant, ſed levia. Gothi morem invexerunt bis in die ſaturum fieri. *Cel.* Qua de cauſa Plato menſas Syracuſanas damnat, in quibus quotidie exſaturentur bis? *Plin.* Ex eo colligas fuiſſe rariſsimas. *Cel.* Sed miſſa iſthæc faciamus. Cur lucubras ad lychnum potius, quam ad candelam? *Plin.* Propter flammam æquabilem, quæ minus lædit oculos. Illa enim criſpatio mixi officit oculis, & ſævi odor inamœnus eſt. *Cel.* Utere cereis, quorum odor non eſt ingratus. *Plin.* Myxus eſt in his magis tremulus, nec vapor ſalubris: & in ſebaceis ellychnium eſt lineum plerumque, non xylineum, ut propolæ iſti ex rebus omnibus quærunt compendium cum fraude. Infunde oleum in lucernam hanc, profer acu myxum, & ex-

F2 ſun-

funga. *Epi.* Quam hæret fungus acui? ſignum dicunt eſſe pluviæ, quemadmodum eſt apud Virgilium: 1

> *Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.*

*Pli.* Affer etiam furcinulam, & emunge candelam hanc: ne proiicias fungum in pavimentum ne fumiget: ſe opprime intra furcinulam, quando eſt conteᵭa. 2 Profer mihi pallam lucubratoriam, prælongam illam pellitam. *Cel.* Ego te tuis libris commendabo, Minervam tibi opto propitiam. *Pli.* Paullum, malim, vel, quod dicere debui, CHRISTUM IESUM, Dei ſapientiam. *Cel.* Fortaſſe CHRISTUS Minervæ fabula adumbratur, ut quæ ex Iovis cerebro ſit nata. *Pli.* Statue menſam ſuper tibicines in cubiculo. *Epi.* Mavis menſam, quam pluteum? *Pli.* Etiam hoc quidem tempore, ſed pone ſupra menſam pluteolum. *Epi.* Stabilem, an volubilem? *Pli.* Quem males. Ubi eſt Dydimus meus ab ſtudiis? *Epi.* Eo illum acerſitum. *Pli.* Et

huc

huc adducito puerum exceptorem: nam lubet aliquid dictare. Da mihi illos calamos, & pennas duas, aut tres cannæ amplæ, & thecam pulverariam. Profer mihi ex armario Ciceronem, & Demoſthenem, tum ex pluteo codicem exceptorium, & regeſta 3 maiuſcula: audin? Et mea ſchedia, in quibus libet nonnula expolire? *Did.* Non arbitror eſſe ſchedas tuas in pluteo, ſed in ſcrinio conclavis. *Pli.* Id vero ipſe ſcrutator. Affer mihi Nazianzenum. *Did.* Non noſco. *Pli.* Liber eſt minimè ſpiſſus, conſutus, & tectus membrana, ruditer. Affer quoque codicem quintum à primo. *Did.* Quod eſt lemma illius? *Pli.* Xenophontis commentarii liber eſt expolitus, tectus corio cum uncinulis, & umbilicis cupreis. 4 *Did.* Non invenio. *Pli.* Nunc memini, in quarto loculamento eum repoſui, illinc prome. In eo loculamento non ſunt niſi libri ſoluti, & rudes, quales recentes afferuntur ab officina. *Did.* Ecquod corpus Ciceronis poſcis? nam ſunt qua-

 tuor.

tuor. *Pli.* Secundum. 5 *Epi.* Nondum eſt relatum à librario glutinatore, cui dedimus nudius, ut puto, quintus. *Did.* Quam placet tibi hæc penna? *Pli.* Non ſum in eo valde ſolicitus, quæcunque in manus venit, ea ſic utor tamquam bona. *Did.* Hoc habes Ciceronis. *Pli.* Conquieſcite: reclude mihi Ciceronem, aperi, evolve adhuc tria, aut quatuor folia ad quartum Tuſculanarum quæſtionum, quære ibi de manſuetudine, & lætitia. *Epi.* Cuius ſunt hi verſus? *Did.* Eius ipſius, quos de Sophocle vertit, quod facit ſanè lubens, ac proinde ſæpe. *Epi.* Erat, credo, ad carmen componendum ſatis aptus. *Did.* Aptiſſimus, ac facillimus: nec, ut illo ſeculo, infelix, contra quam exiſtimant plurimi. *Epi.* Sed tu, quomodo intermiſiſti ſtudium Poetices? *Pli.* Aliquando repetemus ſucceſsivis horis, ut ſpero: nam habet multum levamenti ab ſtudiis gravioribus. Defeſſus ſum iam ſtudendo, meditando, ſcribendo: ſterne mihi lectum. *Epi.* In quo cu-

cubiculo? *Pli.* In lato illo, & quadrato: & tolle ex angulo anaclinterium, transfer in cœnationem, pone ſuper culcitram plumeam alteram tomenti lanei, vide, ut fulcra lecti ſint ſatis firma. *Epi.* Quid refert tua, qui non cubas in alterutra ſpondarum, ſed in medio? ſed ſalubrius foret, ſi lectus eſſet durior, & qui corpori reſiſteret. *Pli.* Tolle cervical, & pro eo repone pulvinos duos, & in hoc æſtu malo plagam illam, quam arcta iſthæc lintea. *Epi.* Sine lodice? *Pli.* Etiam. *Epi.* Algebis: nam ſurgis, ab ſtudiis extenuato corpore. *Pli.* Iniice ergo periſtroma aliquod leve. *Epi.* Iſtud, nullum aliud ſtragulum? *Pli.* Nullum: ſi ſentiam frigus in lecto, poſcam plus veſtium: aufer illa peripetaſmata, nam ad culices eſcludendos malo conopeum. *Epi.* Culices paucos hic ſenſi, pulices, & pediculos ſatis multos. *Pli.* Ego vero miror te aliquid ſentire, qui ſic dormias, & ſtertas. *Epi.* Nemo dormit melius quam qui non ſentit, quam male dor-

 mit.

mit. *Pli.* Nihil horum animalculorum, quibus per æſtatem in cubiculis infeſtamur, tam movet nauſeam, quam cimices odore illo teterrimo. *Epi.* Satis bonus proventus eſt eorum Lutetiæ, ac Lovanii. *Pli.* Eſt genus ligni, quod illos creat Lutetiæ, & argilla Lovanii. Colloca hic mihi horologium excitatorium, & obicem infingito ad horam quartam matutinam, neque enim volo diutius dormire. Excalcia me, pone hic ſellam plicatilem, in qua ſedeam; matula in ſcabello ſit mihi iuxta lectulum parata: neſcio quid hic olet male, ſuffias paullum turis, aut iuniperi. Cane hic mihi lyra aliquid lectum ingredienti, more Pytagorico, ut citius obdormiam, & ſomnia ſint placidiora. *Epi.* 6

*Somne, quies rerum, placidiſsime*
*ſomne deorum,*
*Pax animi, quem cura fugit, qui*
*pectora longis*
*Feſſa miniſteriis fulcis, reparaſque*
*labori.*

1 *Georg.*

*1 Georg. 2 Pallam lucubratoriam, pellicea grave. 3 Regeſta, regiſtro, ut Budæus. 4 Cupreis, vel cypreis, ut quidam putant genus æris ex Cypro inſula. 5 Lib. 2. ad Q. Fratr. Sed hoc facio ſemper ut quicunque calamus in manus meas venerit, eo utar tamquam bono. 6 Ovid. 11. Met.*

## CULINA.

*Lucullus, Apicius, Piſtillarius, Abligurinus.*

LUcul. Es tu popino? *Api.* Sum. *Luc.* Ubinam agis? *Api.* In popina galli gallinacei: num eges me? *Luc.* Etiam ad nuptias. *Api.* Sine me domum tranſcurrere, ut præcipiam uxori quemadmodum ſint tractandi ganeones, quos ſcio non ſolere in hac civitate deeſſe, tum etiam adventores. *Luc.* Audin tu? reperies me in vico Lapideo, in

ædibus ſutorum. *Api.* Continuo ade-
ro. *Luc.* Bene eſt, ingredere culi-
nam. *Api.* Heus, Piſtillarie, & tu
Abligurine, ignem in lare exſtrui-
te ſub fumali grandibus lignis, &
quantum fieri poterit, acapnis. 1
*Piſ.* Putas te eſſe Romæ? hic ta-
bernas coctilicias non habemus, è
quibus ligna coctilia promuntur:
habebis bene arida. *Api.* Ni ita ſit,
tu Abligurine ſuffitor perdes ocu-
los ſufflando. *Abl.* Immo bibam
largius: væ vino. *Api.* Væ aquæ:
nam vinum hodie non attinges, ſi
ſum ſanus: nolo mihi evertas ol-
las, & auxillas confringas, & ci-
bos corrumpas. *Abl.* Non vult ar-
dere hic ignis. *Api.* Iniice faſcicu-
lum aliquem ſulphuratorum, 2 &
fomitem: fruſtula aliquot cum his
aſſulis. *Abl.* Exſtinctus eſt prorſum.
*Api.* Tranſcurre ad ædes proximas
cum batillo, & affer nobis tor-
rem aliquem prægrandem, & pru-
nas bene incenſas. *Abl.* Metallarius
3 eſt illic dominus, nec ſinet car-
bonem unum ſub fornacibus ſibi
detrahi, citius oculum. *Api.* Non

eſt

eſt metallarius, ſed metallicida: itò ergo ad furnum. Quid affers, titionem magis, quam torrem? *Abl.* Non habebant, prunas carbonis. *Api.* Quid malum carbonis? ceſpitum hic dixeris. Tu furcilla hac move ligna, & agita fomitem, ut ignem concipiat, ſume pyro-labem, aſine. *Abl.* Quid rei eſt iſtuc verbum. *Api.* Forfex ignaria, pruniceps. *Abl.* Quid mihi cum verbis Græcanicis? quaſi deſint Latina. *Api.* Etiamne aſini ſunt Grammatici? *Abl.* Quid mirum, cum & Grammatici ſint aſini. *Api.* Fac finem altercandi: volo carbones aliquot, aut ceſpites accendas mihi in hoc foco, ad teſtuaceam lentem incoquendam: ſuſpende ahenum ad ignem, ne deſit aqua calida: tum in cacabum inice armum illum vervecinæ, cum bubula ſalita: cucumam igni admove cum vitulina, & agnina: in chytropode elixabimus oryzan. *Abl.* Quid pulli? *Api.* Coquentur in auxilla ærea, quæ ſtamno eſt illita: quo ſapor ſit gratior, ſed non tam ma-

ture: verua, proferes ſub nonam, & pinguaria: 4 lucium hunc ſines in aqua luſitare paulliſper, tum exenterabis. *Abl.* Carnes, & piſces in eadem menſa? *Api.* Maxime, more Germanico. *Abl.* Atqui hoc non placet medicis. *Api.* Medicinæ non placet, medicis placet. Ego ſtipitem hunc grammaticam tantum eſſe exiſtimabam, medicus etiam eſt. *Abl.* Numquamne de quæſtione illa audiviſti, utrum ſint in civitate plures medici an ſtulti? *Api.* Quis te detruſit in culinam, cum ſis tam ſaperda? *Abl.* Adverſa mea ſors. *Api.* Immo quod manifeſtum eſt, ſegnities tua, & ſocordia, & gula, & lurcacitas, & ingluvies, & animus degener, ac abiectus: ideo ambulas nudis pedibus, ſemicinctus, veſte obſoleta, & natibus breviore. *Abl.* Quid tibi cum mea paupertate? *Api.* Nihil omnino, nec velim eſſe. Sed ad rem, ne præter rem plura quam oportet ſatis ne ſunt hæc iuſſa, ſuperque infixa, & inculcata? ſcilicet vobis umquam ſatis. Da mihi

meam

meam braccam, nam foras lubet prodire, continuo adero, cedo tudiculam, inſigne artis noſtræ: hoc eſt meum fulmen, & tridens. *Piſ.* Heus Abligurine, ſtatue hydrias illas in urnario, & hanc bubulam abluito diligenter, & confricato in labro. *Abl.* Etiamne tu hic quoque imperas? unus imperator unis caſtris ſufficit, non ſufficiet culinæ uni? facito ipſe: tu es acrior exactor operæ, quam ipſe magiſter culinæ: non vocabo te poſthac piſtillarium, ſed ſtimulum acutum. *Piſ.* Immo voca me Onocentrum.
5 Frange tu ergo vitulinam hanc in epixenio. Comminue paullum huius caſei, ut ſpargamus ſuper hanc offam. *Abl.* Quomodo, manu? *Piſ.* Non, ſed tyrocneſti: inſtilla huc guttas aliquot olei ex lecytho. *Abl.* Dicisne ex hoc capſace? *Piſ.* Statue hic mortarium. *Abl.* Quod iſtorum? *Piſ.* Illud æneum cum piſtillo eiuſdem metalli. *Abl.* Qua gratia? *Piſ.* Ad terendum petroſelinum hoc. *Abl.* Satius eſt in pilla id fieri marmorea, piſtillo ligneo,

neo. *Piſt.* Quæſo cantilla, ſicut conſuevisti. *Abl.* Ego nolo Cæſar eſſe, 6

*Ambulare per Britannos,*
*scythicas pati pruinas.*
*Ut ſapiant fatuæ Fabiorum prandia betæ, 7*
*O quam ſæpe petet vina piperque coquus?*

*Piſtil.* Fabiorum, an fabrorum? *Abl.* Quære à ludimagiſtro loripede, & pro fabris, & Fabiis referes egregium colaphum in gena, vel in bucca. *Piſ.* Sic eſt homo? *Abl.* Vir ſtrenuus, & fortis, & manu promptus, celeritate manuum compenſat linguæ tarditatem. *Piſ.* Cedo urnulam cerviſiariam, exſiccatum habeo palatum, guttur, fauces. *Abl.* 8

*Et gravis attrita pendebat cantharus anſa,*
*Claudere, quæ cœnas lactuca ſolebat avorum, 9*
*Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes.*
*Filia Picenæ venio Lucanica porcæ, 10*
*Pultibus hinc niveis grata corona datur.* *Apic.*

*Apic.* Unde tu didiciſti adeo *rhapſodin*. *Abl.* Inſervivi nuper in Calabria ludimagiſtro cuidam poetaſtro, qui ſæpenumero cœnam aliam non dabat mihi, quam cantillationem centum verſuum, quibus mirificum aiebat ſaporem ineſſe: ego vero paullum panis, & caſei maluiſſem: aquæ erat ſatis domi, & licebat nobis de puteo bibere ex animi ſententia: inde ego cum eſuriens conceſſiſſem cubitum pro epulis verſus illos ruminabam, & concoquebam: nec mihi aliud viſum eſt remedium ad bulimiam illam depellendam, quam culinariam arripere. *Api.* Quæ illi præbebas miniſteria? *Abl.* Quæ Cæſar Reipublicæ: ego eram illi omnia, eram illi à conſiliis, & ſi nihil umquam ageret conſilio: à ſecretis, quum nihil haberet ſecreti, ne latrinam quidem: ego fundebam ei aquam lavandis manibus, quas numquam abluebat: ego ſervabam eius theſaurum. *Api.* Quem theſaurum? *Abl.* Schedas aliquot peſſimarum cantilenarum, quas tineæ exedebant,

bant, & opici 11 mures arrodebant. *Api.* Immo docti mures, qui malis poematis dentem inſigebant.

1 *Acapna ligna arida fumum non emittentia.* 2 *Sulphuratum, vulgo Pajuelas de azufre.* 3 *Metallarius, qui vulgo Alchimiſta.* 4 *Pinguaria, in qua decidit pingue carnium, cum aſſantur.* 5 *Onocentrum, aſini ſtimulum.* 6 *Florus poeta Adriano Cæſari, ut Spartianus in eius vita. Marti. 13. ſic Fabiorum dicit, ut ineptum hominem ſignificet.* 8 *Virg. Eclog.* 6. 9 *Mart.* 13. 10 *Mart.* 13. 11 *Opici ſordidi.*

## TRICLINIUM.

*Ariſtippus, Lurco.*

ARiſtip. Quid tu tam ſero ſurgis, & quidem ſemiſomnis. *Lur.* Mirum eſt me eſſe toto hoc die experrectum, adeo heri edimus,

mus, & bibimus. *Ari.* Immo, ut apparet, devoraſti, ingurgitaſti, obruiſti te epulis, & vino, ſed, ubinam oneraſti celocem? 1 *Lur.* Apud Scopam in convivio. *Ariſt.* Quin potius more Græco 2 *Symposion* vocaris, quam Latino verbo convivium? *Lur.* Bucca buccam impellebat, intrituræ, & condimenta vellicabant, atque inſtigabant deſidentem ſtomachum, & appetentiam non patiebantur delaſſari. *Ari.* Refer, quæſo, ordine omnia, ut, vel auditione ipſa videar mihi intereſſe, & quaſi vobiſcum potare; ut ille, qui in caupona Hiſpaniæ duos grandes panes comedit ad nidorem perdicis aſſæ, quo nidore utebatur pro obſonio. *Lur.* Quis enarrabit omnia? maius negotium id fuerit, quam, vel emiſſe, vel apparaſſe, vel, quod omnia ſuperat, comediſſe. *Ari.* Aſsideamus in hoc ſaliceto ad crepidinem huius ripulæ: &, quando ſumus otioſi, pro collocutione aliis de rebus utemur hac ipſa: gramen erit nobis vice

pul-

pulvinorum : innitere hac ulmo. *Lur.* In herba ? an non humor nocebit ? *Ari.* Quid inſanis ? humor in hortu caniculæ ? *Lur.* Antea recuſabam, nunc animus prurit mihi recenſere tibi plus quam poſtulas, de convivio ſolum quærebas, accipies etiam de domino, & de triclinio, rogabas, ut loquerer, efficiam, ut mox paullo ſilentium roges : indicas, imperes : ut Arabius tibicen, 3 qui ad canendum obolo conducitur, ad tacendum tribus. *Ari.* Tu vero, quantum libuerit, non eris moleſtus, quandoquidem in opaco loco conſedimus, & orationem tuam carduelis illa, vel adiuvabit, vel ad harmoniam moderabitur : ut orationem, C. Gracchi ſervus fiſtulator. 4 *Lur.* Quid iſtuc eſt rei ? *Ari.* Poſtquam tu feceris narrandi finem, audies de Gracchis, & gracchulis, & de Græculis. *Lur.* Deambulabamus forte transverſo foro, ego, & Thraſybulus, nacti pluſculum otii, quam ſolemus, adiunxit ſe nobis Scopas. Is à nobis poſt primas ſalutationes, &

blan-

blandum congreſſum, cœpit vehementer contendere, ut poſtero die, qui heſternus fuit, apud ſe eſſemus: excuſare nos primum, alius alia; ego autem vadimonium grave, & apud prætorem valde irritabilem. Sed ille, ut libenter oſtentat ſuam magnificentiam, quaſi de capite ageretur, orſus eſt accuratum ſermonem: quid multa? addiximus, ne moleſtus eſſe pergeret. *Ari.* Scin, quænam fuerit cauſa convivii? *Lur.* Quæ tandem quæſo? *Ari.* Eſt quidem ipſe homo locuples, ornatus argento, veſte, ſuppellectile: ſed emerat phialas argenteas tres deauratas, & pateras ſex: periiſſet pretium, ni aliquos invitaſſet, quibus oſtentaret: & alioqui eum ille exiſtimat eſſe divitiarum fructum: habetque uxorem, à qua ex ſtimulatur ad profuſionem, quam illa magnificentiam nuncupat. *Lur.* Heri ego ſub meridiem convenimus in eius triclinium. *Ari.* Qualis erat cœnatio? *Lur.* Hypetra, 4 in opaco frigore: omnia ſane apparata, ornata, ex-

cul-

culta: nihil deerat ad elegantiam, ſplendorem, & lautitias. Plane primo ingreſſu exhilarati ſunt omnium oculi, & animo, adſpectu illo pulcherrimo, atque amœniſsimo. Erat abacus ingens plenus bonis vaſis materiæ omnis, ex auro, argento, cryſtallo, vitro, ebore, murrha: 5 alia etiam vilioris materiæ ſtannea, cornea, oſſea, lignea, teſtacea, ſeu figlina, in quibus ars commendabat utilitatem ſubſtantiæ: nam erant toreumata permulta, omnia expolita, exterſa, fulgor pene perſtringebat oculos. Illic vidiſſes duo magna malluvia argentea, oris deauratis, umbilicus erat aureus cum inſignibus illius. Habebat utrumque malluvium ſuum gutturnium, quorum epiſtomium erat deauratum: ſtabat, & alterum aquiminarium vitreum, fiſtula deaurata cum pollubro figlino, operis Malacenſis, 6 probe ſandaracato. Philialæ omnis generis, & argenteæ duæ ad vinum generoſiſsimum. *Ari.* Ad uſum meum ampullas vitreas ma-

lim,

lim, aut etiam teſtaceas, ex iis, quæ lapideæ dicuntur. *Lur.* Quid facias? ita eſt hominum ingenium: non tam in his quæritur commoditas, quam opinio divitiarum. *Ari.* Iſti opulentiſsimi ſæpius videntur aliis tales, ſibi inopes; ideo nullus finis proferendi, & ingerendi oculis, præſertim qui nullam habent aliam bonam artem, qua fidant. Sed perge. *Lur.* Erat cymatium abaci tapete villoſo tectum, ex turcia uſque allato: poſitæ erant duæ menſulæ procul ab abaco, cum quadris, & orbibus argenteis: unicuique additum erat ſuum ſalinulum, cultellus, panis, & mantile. Sub abaco refrigeratorium, & œnophora grandia. Tum ſedilia varia, ſellæ, biſellia, ſubſellia: & dominæ ſella plicatilis parata, viſendi operis cum pulvino ſerico, & ſuppedaneo. *Ari.* Pone tandem menſam, & explica mappam: nam mihi inteſtina præ fame rugiunt. *Lur.* Erat menſa cibilla ingens, ſegmentata operis teſſellati antiqui, quæ fuerat principis Dicæarchi. *Ar.* O

men-

menſa antiqua, 7 quam diſpari domino! *Lur.* Illam ipſe emit in auctione ſatis magno, ſolum quod illius fuiſſet, ut aliquid haberet principis. *Ari.* Datur aqua lavandis manibus primum magnis recuſationibus, & invitationibus mutuis, & cedendo invicem. *Lur.* Idem factum eſt in conſeſſu, cum quiſque ſe inferiorem altero faceret, illum extollere comitate arrogantiſsima, cum unuſquilibet potiorem ſe reliquis omnibus cenſeret. *Ari.* Sed dominus iure ſuo diſtribuit loca: ſacrata eſt menſa à puerulo breviter, & perfunctoriè, & non ſine rhytmo. 8

*Quod appoſitum eſt, & apponetur CHRISTUS benedicere dignetur.*

Explicat quiſque ſuum chiromactrum, & iniicit ſuper humerum ſiniſtrum: hinc cultellulo repurgat panem, ſi quid non ſatis putabat à miniſtro purgatum, nam decruſtatus erat appoſitus. *Lur.* Sedebatis commode? *Ari.* Numquam commodius. *Lur.* Non potuiſtis male prandere: nam reliqua ſat ſcio ſup-

pe-

pellitatum iri, redundanter, ſi qua modo fuerant in macello. *Ari.* Nuſquam verius, copiaque ipſa nocet. Adſtat menſæ ſtructor, cultellos, & furcinulas componens. Ingreditur magna pompa architriclinus cum longo agmine puerorum, & exoletorum, qui geſtabant fercula primi 9 miſſus.

---

1 *Celocem per methaphoram ventrem intelligit: eſt autem celox genus navis onerariæ brevis, & velocis.* 2 *Arabius tibi iam erat in proverbio Græcorum: de iis, qui nimia loquacitate, aut rei nullum finem facientes, moleſti ſunt: citat verſum Apoſtolius in adagiis.* 3 *Gracchi ſervus.* Cic. 3. *de Orat.* 4 *Hypetræ: id eſt ſub dio poſitæ.* 5 *Murrhæ lapidis pretioſi genus ad conficienda vaſa.* 6 *Malaca civitas eſt in Hiſpania. O menſa antiqua imitatio eius quod à Cicer. in* 1. *Offic. adducitur. O domus antiqua, heu quàm diſpari dominaris domino.* 8 *Rhythmo, ut nos dicimus rimo, quod in fine* 

*ho-*

*horum verſuum eſt.* 9 *Primi miſſus, ut nos dicimus primer cubierto.*

## CONVIVIUM.

*Scopas, Simonides, Crito, Democritus, Polemon.*

SCo. Ubi nobis Simonides? *Cri.* Illico dixerat ſe venturum ſimul ac conveniſſet debitorem apud forum. *Sco.* Recte habet: à debitore facilius ſe extricabit, quam à creditore. *Cri.* Qui iſtuc? *Sco.* Sicut in victoria, belli condiciones fert victor, non victus. Nam à debitore, cum ipſe idem volet à creditore, cum alter. Sed conveniſtis ne omnes, ut erat condictum, relicta domi ſeveritate, afferentes vobiſcum hilaritatem, lepores, venuſtates, gratias? *Cri.* Plane ita ſpero, & erimus, ſicut monet. M. Varro, belli homines. *Sco.* Reliqua meæ curæ ſunto. *Cri.* Ecce tibi, Simonides. *Sco.* Feliciter. *Si.* Et vobis

bis fauſte. *Sco.* Expectatiſsimæ. *Si.* Plane ruſticanæ: nam ad prandendum eram invitatus, non ad expectandum. Sed, quæſo, fui vobis diu in mora? *Sco.* Non valde. *Si.* Cur non accumbebatis ſine me? eſſetis ſaltem prœmiati de fructibus, quibus ego non admodum capior. *Sco.* Bona verba, te abſente aſſediſſemus? *Cri.* Satis comitatum, exordiamur iam opus. Optimum panem, & leviſsimum non plus habet ponderis, quam ſi eſſet ſpongia: ſiligineus 1 eſt ſetarius, induſtrium habetis pollinctorem. *Sco.* Roſcius eſt piſtrini curator. *Sim.* Numquamne in id coniicitur? *Sco.* Abſit, tam frugi ſervus? *Dem.* Affer mihi autopyrum. *Sim.* Mihi vero ſecundarium, aut typhaceum. *Sco.* Cur talem? *Sim.* Quoniam audivi, & ita ſum expertus, minus me eſſe, cum panis non eſt ſciti ſaporis. *Sco.* Heus, puer, afferto ei panem cibarium, & vulgarem, etiam ex atro, ſi ita mavult: ita demum iucundiſsime convivabimur, ſi quiſque quod maxime collubi-

tum erit, ſumpſerit. *Pol.* Panis hic, quem tu tantopere probas, ſpongioſus, aquaticus eſt: malo denſiorem. *Cri.* Mihi vero non diſplicet ſpongioſus, modo ne ſit ſpeuſticus; hic vero etiam hectas attollit, quod focacei ſolent facere, cum ſit, uti ſatis apparet, fornaceus. *Pol.* Cibarius hic panis, & acetoſus eſt, & aceroſus, typhaceum dicas. *Sca.* Sic conſueverunt noſtri agricolæ triticum omne, quod huc important, acerare prius in villa, & miſcere multis generibus ſeminum, ſapor autem ex fermento eſt nimio. *Pol.* Nullum hominum genus eſt hoc fraudulentius: non malefaciunt, niſi quum neſciunt. *Cri.* Panis hic non eſt ſatis fermentatus. *De.* Puta te hodie Iudæum, qui azymo veſcebantur iuſſu Dei. *Cri.* Id quidem, quod homines eſſent peſſimi: ut interdicta eſt illis ſuilla, qua nihil palato gratius: nec, ſi moderate ſumas, ſalubrius. Et quidem azyma iuſſi ſunt comedere cum lactucis agreſtibus, quæ ſunt perquam amaræ. *Pol.* Illa omnia ſen-

ſenſus habent altiores, omittamus hæc. *Sco.* Et quidem diſputationem de pane. Si de obſoniis fuerit tanta controverſia, magna erit in toto convivio diſcordia. *Cri.* Accidet nimirum, quod Horatius
3 inquit.

*Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,*
*Poſcentes vario multum diverſa palato.*

*Sco.* Appone lances illas, & tympana cum ceraſis, & prunis, & malis granatis, & perſicis pomis, & perſicis præcocibus. *Pol.* Cur M. Varro dixit, convivas non debere excedere numerum Muſarum, cum de eo numero non conſtet? alii enim ponunt tres, alii ſex, alii novem. *Cri.* Dixit tanquam ſi conſtaret eſſe novem, & ita erat vulgo receptum: unde Diogenis iocus in ludimagiſtrum, qui paucos haberet diſcipulos, depictas autem Muſas in ludo: Præceptor, inquit, *Syntais Muſais* [4] multos habet diſcipulos. *De.* Sed eſtne verum, Perſas pomum hoc, quod apud ipſos eſſet

lethale, invexiſſe in Græciam, ad peſtem eorum quibuſcum bellum gerebant? *Cri.* Sic accepi. *De.* Admirabilis eſt in ingeniis terrarum varietas. *Cri.* *India mittit ebur*, (inquit Virgilius,) 5 *molles ſua tura Sabæi.* Hem, cydoniperſica. *Si.* Novum inſitionis inventum, priſcis incognitum, cedo nobis pateram illam cum ficis duricoriis, qui ſunt (ut noſtis) prodromi. *Sco.* Satis eſt fructuum: expleamus nos rebus aliis ſalubrioribus corpori. *Cri.* Quid his ſalubrius? *Sco.* Nihil, ſi ſalubre, & ſapidum idem ſunt, ſicut in meridiano ſomno. 6 *Cri.* Ego condono illis nocumentum propter oblectamentum. *Sec.* Non meminiſti verſiculum Catonis:

*Pauca voluptati debentur, plura ſaluti.*

Dato ſingulis ſingulas gabatas cum iure carnium, ut ſorbeant: id vero, & calfaciet inteſtina, & blande abluet ad molliendum ventrem. *Si.* Profecto, puer, amo te de ſuilla hac ſalita: ò pernam 7 ſapidiſsimam, maialis eſt. Braſsicas illas

illas cum larido, ſi mihi vis auſcultare, redde coquo, per hoc quidem temporis, aut ſerva in brumam. Lucanicæ huius ſcinde mihi bucceam unam aut alteram, quo ſuavius ebibam primum cyathum. *Gri.* Pareamus medicorum conſilio, admonentium; ut porcinæ addatur merum: funde vinum. *Scio.* Sequitur actus fabulæ, fortaſsis hoc anni tempore præcipuus. Spectate huius actus apparatum: primum omnium à caliculis cuſtos abaci ſcyphos expoſuit vitreos criſtallini vitri cum vino albo puriſsimo: aquam putes ſolo aſpectu. Sanmartinium eſt *, & partim Rhenenſe, non infectum, ut ſolent in Belgia: ſed quale in media Germania bibitur. Oenophorus relevit hodie ſerias duas, alteram vini Helveli, ſeu Flavi ex agro Pariſienſi: alteram ſanguinei Burdegalenſis: habetis



* *Melius dixiſſet Peraltæ, Villafrancæ, oppidorum Navarræ: vocaturque vulgo* Vino rancio.

betis in apyroto alia parata: fuſcum, Aquitanicum, & nigrum è Sagunto: petat quiſque ex ſententia palati ſui. *Cri.* Quid poteſt nunciari lætius? ut nihil eſt durius, quam perire ſiti. Ego vero mallem optimam nobis aquam proſpexiſſes, hunc nuntium audiviſſem libentius quam de vino. *Sco.* Nec ea deerit. *Sim.* Nuper, cum eſſem in urbe Roma, bibi apud Cardinalem quendam vina generoſiſsima omnifariàm ſaporis, nam eram præfecto cellæ vinariæ perquam familiaris: vinum dulce, leve, acutum, ſuave, auſterum. *Dem.* Mihi vehementer placet aiglauces 9. *Pol.* Sic fere Belgicis fœminis. *Si.* In pagis quibuſdam Galliæ floces apponuntur; ſecundarium autem vinum, & tertiarium habent in deliciis. Sed ea vilia ſunt magis, quam vina: & alioquin vinum Gallicum toto genere nec aquam, nec ætatem fert: itaque paullo poſt, quam eſt diffuſum, bibitur, quippe poſt annum inclinat 10 illico, & fit dubium, tuum fugiens, & acuit: quod

quod ſi manſerit diutius, emucet, & in vappam vertitur. Hiſpanum vinum, & Italicum bene fert, & aquam, & ætatem. *Dem.* Quid rei eſt vinum fugiens? vinciantur probe dolia, & obſeretur cella, immo & domus claudatur, ſi ſit opus. *Pol.* Ut poma fugientia, quæ ætati cedunt nec ſervantur: & diſcedere vulgo dicimus: cuius contrarium eſt vinum conſiſtens. *Dem.* Funde mihi prius aquam ad dimidium calicem, ſuper hanc infundes vinum more veteri. *Cri.* Immo, & hodierno, multarum gentium. Galli, & Germani contra faciunt. *Dem.* Quæ nationes volunt bibere aquam vinatam, aquæ addunt vinum; quæ vinum aquatum, vino ſuperinfundunt aquam. *Cri.* Quæ vero vino aquam non adfundunt, quid bibunt? *Dem.* Vinum purum putum. *Cri.* Etiam, niſi prius ſit à vinario irrigatum. *Pol.* Baptizare id vocant, ut vinum ſit Chriſtianum: ea erat meo tempore elegantia philoſophica. *Dem.* Illi baptizant vinum, & ſe ipſos exbaptizant. *Pol.*

Peius agunt, qui iniiciunt calcem, ſulphur, mel, alumen, & alia dictu tetriora, quibus nihil eſt corporibus perniciofius: in quos publice deberet animadverti, ut in latrones, aut ſicarios: inde ſunt enim incredibilia morborum genera, & potiſsimum arthretica. 11 *Cri.* Ex conſpiratione cum medicis id agunt, ut utrique rem augeant. *Dem.* Nimis mihi porrigis plenum calicem: deple quæſo te aliquantum, ut ſit locus aquæ infundendæ. *Cri.* Funde mihi in ſcyphum illum coloris caſtanei: quid rei eſt? *Sco.* Nux prægrandis Indica, ab labris argento circumcluſa: viſne in cullulo illo ligni hebeni? quod ferunt eſſe ſaluberrimum. Ne addas tantum aquæ: neſcis vetus verbum, *Perdis vinum infuſa aqua.* 12 *Dem.* Immò perdis utrumque, aquam, & vinum. *Pol.* Malim utrumque perdere, quam ab alterutro perdi. *Sco.* Lubetne potare more Græco ex illis pateris, & capacioribus poculis? *Cri.* Minime vero. Admonebas nos modo anti-

qui

qui proverbii, viciſsim admoneo te præcepti Paulli: *Nolite inebriari vino*, 13 *in quo eſt luxuria*: & Salvatoris noſtri: *Videte ne graventur corda veſtra crapula* 14, *&* *ebrietate*. *Cri.* Unde eſt hæc frigida, tam pura, & pellucida? *Sco.* E fonte proximo. *Cri.* Ad vinum diluendum malim ciſternam, modo defæcatiſsimam. *Dem.* Quid putealem? *Cri.* Uſibus lavandi aptior eſt: quam bibendo. *Pol.* Fluviatilem commendant plurimi. *Cri.* Recte, ſi fluant amnes per venas auri, ut fere in Hiſpania: & ſit quieta, & liquida. *Sim.* Mihi vero in phiala illa Samia affer aliquantum cerviſiæ, quam puto refrigerando corpori hoc æſtu utiliſsimam. *Sco.* Ex qua tandem cerviſia? *Sim.* Ex tenuiſsima: nam aliæ nimium incraſſant ſpiritus, & reddunt obeſum corpus. *Pal.* Mihi item dato, ſed in vitro illo terete 15. *Sco.* Curre ad culinam, quid illi ceſſant? quin mittunt miſſum alium 16? vides iam hinc neminem attingere? Affer pullos gallinaceos, elixos cum lac-

tucis, bugloſſa hortenſi, & intubo: vervecinam quoque & vitulinam. *Cri.* Adde etiam in ſcutellis paullum ſinapi, aut petroſelinati. *Dem.* Violenta res videtur ſinapis. *Cri.* Non admodum congruit bilioſis: iis tamen, qui craſsis, & frigidis humoribus redundant, haud inutilis. *Pol.* Idcirco ſapiunt populi Septemtrionales, quibus illa eſt magno uſui præcipue cibis craſsis, & duris addita, ut bubulæ, & ſalſamentis. *Sco.* Hoc loco exiſtimo pultes, & ptiſanas venturas in tempore, leucophagum, ſimilaginem, amylum, oryzam, vermiculos 17, edat quiſque ex quibus volet. *Dem.* Vidi, quia vermiculis huiuſmodi vehementer abhorreret, quod autumaret collectos fuiſſe ex terra, aut cœno, & vixiſſe aliquando. *Cri.* Scilicet metuebat, ne in aqualiculo ſuo reviviſcerent. Oryzam ferunt naſci in aqua, mori in vino, cedo igitur vinum. *Dem.* Ne bibe ſtatim à cibo calido, intermiſce prius frigidi aliquid, & ſolidi. *Cr.* Quid? *Dem.* Cruſtam panis aliquam,

quam, vel turundam unam aut alteram carnium. *Sim.* Vah, piſces cum carnibus in eadem menſa? mare miſcetur terræ? hoc vetant medici. * *Sco.* Immo hoc placet medicis. *Sim.* Credo, quia illis utile. *Sco.* Cur ergo vetant medici? *Sim.* Erravi, à medicina prohiberi dictum oportuit, non à medicis. Sed qui ſunt piſces iſti? *Sco.* Appone ordine, primum lupum illum aſſum cum aceto, & capparibus, tum paſſeres elixos cum ſucco lapathi acuti, ſoleas frixas, lucium recentem, & capitonem: lucium ſalitum ſerva



* *Videndus Benedictus XIV. ſuis Apoſtolicis Litteris ad omnes Epiſcopos Orbis Catholici, datis anno* 1741., *quarum primæ* Non ambigimus; *ſecundæ vero* In ſuprema *incipiunt. Encyclicis duabus, prima Archiepiſcopo Compoſtellæ die* 8. *Iulii anno* 1744.: *quæ incipiunt* Si Fraternitas. *ſecundæ univerſis Eccleſiæ rectoribus die* 10 *Iunii anno* 1745, *quæ* Libentiſsime quidem.

tibi : thynnum aſſum recentem, & thynnum in ſalſamento, menas recentes frixas, cruſtulata 18, in quibus inſunt mulli barbati, murenæ, & trutæ multis conditæ aromatis, gobios frixos, cammaros, & cancros elixos. Admiſce ſcutellas cum intritis alliato, piperato, erucato. *Sim.* Ego vero de piſcibus loquor, non edam. *Cri.* Si philologus cœperit de piſcibus movere controverſiam, hoc eſt, de re incertiſsima, & controverſiſsima, incipite nobis lectulos inſternere, hic erit cubandum. *Sco.* Nemo dignatur vel guſtare, tolle hæc. *Sim.* Atqui convivia olim Romæ lautiſsima, & (ut ipſi ſoliti erant dicere) pollucibilia, ex piſcibus conſtabant. *Cri.* Ita ſunt mutata tempora, & ſi hoc etiamne durat apud quoſdam. *Sco.* Importate aſſa, pullos, perdices, turdos, anaticulas, querquendulas, palumbulos, cuniculos, lepuſculos, vitulinam, & hædinam, & intinctus, ſeu embammata, acetum, omphacium, oxypora, mala etiam medica,

dica,

dica, & cytronia, & olivas Balearicas conditivas, quaſſas, & in muria aſſervatas. *Dem.* Non adſunt Bæticæ. *Sco.* Magis ſunt ſaporis ſciti Balearicæ. *Cri.* Quid fiet grandibus illis belluis, anſeri, cygno, pavoni? *Sco.* Oſtende tantum, & refer in culinam. *Pol.* Hem pavonem! Ubi eſt Q. Hortenſius, cui erat in deliciis? *Sim.* Tolle agninam. *Sco.* Cur tolletur? *Sim.* Quia eſt inſalubris, ferunt eam non alia exire, quam qua intravit. *Cri.* Vidi quendam devorare oſſa olivarum ſtruthionice. *Sco.* Ex quibus carnibus ſunt artocreæ 19 iſtæ? *Cri.* Hæc eſt ex cervina. *Sco.* Hæc ex damica, illa eſt, ut puto, aprugna 20. *Cri.* Condituras ipſas malim, quam carnes. *Sim.* Plane ita eſt: etiam res amaras condimentum reddit ſuaviſsimas. *Cri.* Ecquid eſt vitæ totius condimentum? *Dem.* Æquus animus. *Cri.* Aliud quiddam ego proferam amplius, & auguſtius. *Dem.* Quid tandem hoc meo? *Cri.* Pietas, ſub qua, & animi æquitas comprehenditur, & ad res univer-

verſas aſperas, faciles, medias condimentum aptiſsimum, & iucundiſſimum. *Sco.* Infunde vinum album Hiſpanicum in carcheſium illud, & circumfert per convivas. *Dem.* Quid paras agere? ſub prandii finem propinas nobis vinum forte, ac generoſum: dilutius erit poſt hac bibendum, ſi conſultum cupimus valetudini. *Sim.* Recte mihi videris admonere: frigida enim oportet eſſe in convivio poſtrema, quæ pondere ſuo cibos ad imum ventriculum detrudant, & vapores caput impetentes cohibeant. *Sco.* Tolle iſta, muta orbes, & quadras, da ſecundam menſam, nam nemo extendit uſquam manum. *Cri.* Adeo voravi initio avide, ut ſtatim amiſerim appetitum. *Dem.* Ego item non appetinione, ſed impetu feror ad primas dapes: inde me expleo. *Pol.* Neſcio quid edi de piſcibus, id guſtum meum prorſus retulit. *Sim.* Tantum ne bellariorum apparatum, & cupedines, cum nihil ſupereſt amplius cupediæ? pyra, mala, caſeus multiplex, ſed palato meo congruen-

gruentiſsimus eſt hippax. *Cri.* Non reor hippacem 21 eſſe hunc, ſed Phrygium, ex lacte aſini, qualis e Sicilia uſque advehitur, columellari forma, & quadra: qui, cum frangitur, in laminulas finditur, ſive phyluras. *Dem.* Caſeus hic, & ſi Britanicus, fiſtuloſus eſt: non erit, mea utique ſententia, vobis gratus. *Cri.* Sed neque hic ſpongioſus Hollandicus. Parmenſis hic eſt bene compactus, & ſatis (ut videtur) recens: & ille Penafelius 22 facile cum Parmenſi certarit. *Dem.* Non eſt Parmenſis; ſed Placentinus. *Cri.* Etiam, ſi placet, vulgo Germanorum ſuaviſsimus * eſt caſeus vetus, putris, confricatus, & vermiculoſus. *Sin.* Qui talem edit caſeum ſitim venatur: & edit, ut bibat. *Sco.* Piſtor dulciarius nimium

* *Hodie delicatior æſtimatur Roncalenſis, vulgo de Ochagavia, oppido Navarræ; is enim mittitur Matritum, ibique tamquam obſonium primæ notæ menſis (dic nunc tabulis) apponitur.*

mium moratur, quin affert ſcriblitas, & artolagana teſtuacia, & ſartagine conſperſione in cacabum iniecta olei ferventis, melle ſuperfuſo? *Cri.* Caryotas da mihi aliquot, & ad edendum, & ad ſervandum: fortaſſe nocte hac nihil edam aliud. *Sco.* Cape igitur ſpathalium 23 hoc integrum: vin ex malograntis? *Po.* Heus, puer? ſpolia nobis hanc palmam agreſtem, & da quod eſt eſui. *Sco.* Potionis vos admoneo: ſcitis Ariſtotelis 24 eſſe opinionem, tragemata 25 eſſe inventa, ut ea nos ad bibendum invitent, ne cibus in arido coquatur. *Cri.* Oportet ergo inventorem fuiſſe, vel nautam, vel piſcem, qui adeo timeret ariditatem. *Sco.* Affert ea, quæ ſolent vocari ſigillum ſtomachi, poſt quæ nihil eſt nec edendum, nec bibendum: bucellatum, cydoniatum, coriandrum ſacharo contectum: hoc vero manducandum eſt, non edendum: ſed quod ex manſo reliquum eſt aridum, expuendum. Collige frutia, & reliquias in caniſtris: affert aquas odori-

riſeras, roſaceum, floris mali medici moſcatum. *Po.* Agamus Chriſto gratias. *Pucr.* Agimus tibi gratias Pater, qui tam multa ad hominum uſus condidiſti: annue, ut tuo favore ad cœnam illam veniamus tuæ beatitudinis. *Po.* Agamus nunc domino gratias. *Cri.* Age tu. *Po.* Immo agat Democritus, qui in hiſce rebus multum valet. *De.* Gratias tibi non poſſum agere pro merito hoc ſtatu reipublicæ: vides enim omnia à Baccho perturbata: ſed recitabo quas Dioniſio egit Diogenes, nam mandavi memoriæ: tu labenti memoriæ, & linguæ titubanti, in tanta eluvione habebis veniam. *Sco.* Dic quicquid libuerit, ſcribetur in vino. *De.* Defatigaſti teipſum, Scopa, uxorem, famulos, famulas, vicinos, coquos, piſtores, ut nos magis comedendo, & bibendo delaſſares. Socrates ſapienter, qui in mercatum celeberrimum ingreſſus exclamarit: O dii immortales! quam multis ego non indigeo, tu contra poſſes dicere: Hæc omnia quotula portio

ſunt

ſunt eorum, quibus ego indigeo? Naturæ placent modica, & illis ea ſuſtentatur, ac fulcitur, hæc tam multa, tam varia obruunt naturam: merito Plinius: Varietas ciborum homini peſtilens, peſtilentior condimentorum: referimus hinc domum gravata corpora, referimus animos obrutos, ac demerſos cibis, & potionibus, ut nullo hominis officio rite poſsimus fungi. Tu ipſe iudicato, ecquam tibi gratiam debemus. *Sco.* Hæccine eſt gratia quam habetis? ſic rependitis prandium tam opiparum? *Po.* Ita plane quod enim maius beneficium, quam, ut fias ſapientior? tu nos domum remittis plane bruta, nos te domi tuæ volumus hominem relinquere, ut ſcias conſulere tuæ, ac alienæ valetudini, & ſecundum naturæ deſideria vivere, non iuxta corruptas ab ſtultitia opiniones. Vale, & ſape.

---

r *Siliginem tritici delicias ait. Plin. 18. cap. 8. inde ſiligineus panis, ut idem.*

*idem lib.* 18. *cap.* 9. *pro delicato accipitur. Inde illud Senecæ: Siligineum fames reddet.* 2 *Typhaceum, id eſt, panis niger, vulgo de Centeno.* 3 *Epiſtola* 2 *lib.* 2. 4 *Cum Muſis, id eſt, ſi cum iis enumerentur Muſæ pictæ in ludo. Laer. in vita Diog. lib.* 6. 5. 1. *Georg.* 6. *Somno merid. Nam ut Plau. in Muſt. Non bonus eſt ſomnus homini de prandio.* 7 *Perna, vulgo pernil.* 8. *Sanmartinum, ex illo Hiſpaniæ oppido.* 9. *Aiglauces, id eſt vinum dulce, & muliebre.* 10 *Inclinat, id eſt mutatur.* 11 *Arthretica, vulgo la gota.* 12 *Ut Cat. Procul hinc abito lymphæ, vini pernicies.* 13 *Nolite ad Eph.* 5. 14 *Videte. Lucas.* 21. 15 *Terete, id eſt longo, & rotundo.* 16 *Miſſum alium, vulgo otro cubierto.* 17 *Vermiculi, vulgo fideos, ò macarrones.* 18 *Cruſtulata, quæ vulgo Artelete.* 19 *Artocreæ, paſtel de carne.* 20 *Aprugna, de Jabali. Nota bene, tiro.* 21 *Hippax: caſeus eſt equinus.* 22 *Penaſellius, ex illo oppido Hiſpaniæ.* 23 *Spathalium, ramo de Datiles.* 24 *Ariſt. Problema. Sec.* 22. 6. *Tragemata, id eſt ſecundæ menſæ cibi, ſaccha-*

*cha-*

*charo, & melle conditi, & vulgo, poſtres.*

## EBRIETAS.

*Aſotus, Tricongius, Aſtemius, Glaucia.*

A*Sotus.* Quid tu dicis Tricongi? quam laute nos heri accepit Brabantus ille? *Tri.* Male ſit illi, non potui tota nocte quieſcere. Vomui (ſit habitus honos veſtris auribus) convolvi me ſubinde toto lecto, modo ad ſpondam interiorem, modo ad exteriorem: fauces, & ſtomachum videbar mihi reiecturus: nunc præ dolore capitis, nec oculorum officio poſſum fungi, nec aurium, lamina ponderoſa plumbi videtur mihi in frontem, & oculos incumbere. *Aſo.* Frontem & tempora fortiter adſtringe faſcia, i, & rex videberis. *Tri.* Seu ipſe potius Bacchus, à quo inſtitutum manavit diadematum in reges. *Aſo.* Recipe te domum, & edormi crapulam. *Tri.* Domum vero? nihil

nihil æque fugio , & averſor , ut domum & uxorem clamoſiſsimam: ea ſi me nunc adſpiceret, longiores haberet homilias, quam Chryſoſtomus, *Abſt.* Hoccine appellas tu, laute tractari? *Glau.* Plane ita eſt: nam laverunt probe guttur, & fauces. *Abſt.* Manus vero? *Glau.* Ne ſemel quidem. *Aſo.* Immo ſæpe vino, & lacte, dum alii in aliorum pateras immittebamus manus. *Glau.* Quid poteſt dici lautius? & quidem digitos pingui carnium, & embammatis inviſcatos. *Abſt.* Tace, per divos quis poſſet abſque nauſea rem adeo audire obſcœnam? quanto minus videre, aut de eiuſmodi vino, aut lacte guſtare? *Abſo.* Divi, veſtram fidem, adeone es Abſtemi, delicatus, ut hæc ne auribus quidem poſsis devorare? quid faceres palato, ut nos? Sed heus tu, Tricongi, compotator ſuaviſsime, mittamus puerum aliquem, qui nobis in illa phiala fictili afferat ex eodem vino: nulla eſt certior huic veneneno theriaca. *Tri.* Eſt hoc exploratum? *Aſo.* Quidni eſſet? memine-

ris

ris verſus, quos cantat Colax 2, ad ſanandum morſum canis nocturni, ſume ex pilis eiuſdem canis. *Glau.* Narra, quæſo, de convivio. *Abſt.* Ne narres, niſi velis me removere quidquid habeo in ventriculo, cum ipſis vitalibus. *Glau.* Faceſſe igitur paulliſper. *Aſo.* Ego narrabo quam commodiſsime, ut nuſquam ſit honos præfandus. *Glau.* Incipe, obſecro, adverte animum, Abſtemi. *Aſo.* Glaucia mi, ante omnia iſtud ex me habe, nullum eſſe hominum genus, quod comparari poſsit cum feſtivo, & largo convivatore. Quidam oſtentant eruditionem rerum variarum, id eſt, mera nugamenta: alii iactant experientiam, & uſu collectam prudentiam: quorſum id? Sunt qui habent quidem opes, ſed non audent expendere miſeri, quid eos iuvat aſſervare? benignus convivator ubique prodeſt, ubique eſt gratus, vel ſolus illius adſpectus exhilarat triſtitiam animi, & diſcutit, ſi qua eſt in eo miſeria, ſive recordatione convivii, ſive ſpe, atque ex-

expectatione : alia omnia, quæ dicuntur bona animi, nec ego video, & ſunt ieiuna, atque infrugifera. *Abſt.* Rogo te, Aſote, quis eſt auctor tam bonæ ſententiæ? *Aſo.* Ego, & omnes mei ſimiles, id eſt, plerique ex Gallia Belgica à Sequana ad Rhenum flumen: tantum diſſentiunt inter nos homuli quidam, vel miſeri, & præparci, qui Abſtemio ſuum invident cognomen, frugi volunt appellari: vel quidam magna ſapientiæ opinione ſuffarcinari, ideſt, inani nomine, quos etiam nos (ideſt, maxima pars hominum, & præcipua) ridemus. *Abſt.* Quid audio? *Glau.* In hoc iſte non fallitur, & ſi ebrioſus: nam nuſquam eruditio minus habet pretii, quam in Belgica, non aliud eſſe rentur virum eruditione præſtantem, quam ſutura, vel textura. *Abſt.* Atqui ſtudent hic multi, & non infelici profectu. *Glau.* Deducuntur à parentibus parvi filii ad ſcholas, tamquam ad opificium, quo parent ſibi deinceps victum. Ipſi etiam ſcholaſtici, dictu incredi-

dibile, quam parvi inſtitutores ſuos faciant, quam proſequantūr honore exiguo, & præmiis adeo tenuibus, ut doctores inſignes, ac primi nominis tolerare ſeſe vix poſsint. *Abſt.* Iſta ſunt ab inſtituto ſermone aliena : revertamur ad convivium. *Abſo.* Hoc malim audire, & miſſos faciamus iam tandem ſermones iſtos ſtudioſos, qui ſunt profecto infrugiferi. Neſcio quemadmodum vos Itali de eruditione ſtatuatis : mihi certe res videtur non ſolum inutiliſsima, ſed etiam damnoſa. *Abſt.* Idem videtur bovi, & ſui, quod tibi, & nobis quoque videretur, ſi non plus haberemus mentis, quam tu. *Aſot.* Non eſſet finis. Itaque audi iam: primum omnium accubuimus ſeveri, & triſtes, ſacrata eſt menſa, ſilentiumque ubique, & quies, cœpimus expedire cultellum quiſque ſuum, ſpeciem præbebamus non invitatorum, ſed invitorum, adeo id diceres facere nos coactos, & faciebamus re vera admodum ſegniter : nondum enim incaluerat animus

mus ardore illo libero: aptat quiſque mantile ſuum humeris, nonnulli etiam pectori, alii de mappa extendunt ſuper gremium: ſumit panem, adſpicit, volvit, purgat ſiquid eſſet carbonis, aut cinerum decorticat, & hæc omnia lente, & cunctabunde. Quidam auſpicati ſunt cœnam à potione: alii priuſquam biberent, paullulum ſumpſerunt acetarii, & bubulæ ſalitæ, ad excitandum dormiens palatum, & ſtimulandum languidulum: primus ſcyphus fuit cerviſia, ut frigidum cæmentum ſubſterneretur ardori vini. Allatus eſt ſacer ille liquor, primum poculis anguſtis, & exiguis, quæ magis ſitim irritarent, quam reſtringerent. Dominus homo feſtiviſſimus, qui potiorem in hac tota regione nullum habet, ac ne parem quidem mea utique ſententia (quod ſit dictum ſine cuiuſquam iniuria) iubet afferri pocula capaciſſima, & cœptum eſt largiter potari more Græco, ut dicebat illic philogræcus 4 quidam,

H qui

qui Lovanii olim ſtuduerat. Ibi cœpimus loqui, tum incaleſcere, hilaritas ubique, & riſus diffuſiſsimus, ò cœnæ noctesque deorum! alii aliis præbibimus, & magna æquitate faciebamus paria: nefas erat ſodalem fraudare, tali præſertim tempore. *Abſt.* Merito: cum agitur non de calice vini, ſed de ſenſu, & mente, rebus in homine præcipuis. Sed ut hac de re tam læta, tam feſtiva, tu & ego colloquamur, primum rogandus es, an ſis ebrius. *Aſot.* Non revera, & facile eſt cognoſcere ex ordine orationis meæ: nam ſi eſſem, putas me hæc referre potuiſſe adeo compoſite? *Abſt.* Recte eſt, alioquin iuxta Mimi verſiculum, cum abſente litigarem. Principio cur non extruitis templum aliquod in hac regione Baccho, cæleſtis huius liquoris repertori? *Aſot.* Hoc veſtrum eſt, qui ædem habetis Romæ Sergii & Bacchi: nobis ſatis eſt quotidie illi paſsim ſacra facere. Et fortaſſe erigeremus templum, ſi conſtaret fuiſſe illum in-

ven-

ventorem: nam de ea re audivi diſputari inter ſtudioſos quoſdam. Sunt, qui putent primum fuiſſe Noam; qui vinum biberit, quique ſit inebriatus. *Abſt.* Dimittamus iſta. Cedo, quod vinum bibetis? *Aſot.* Quid noſtra refert, quod ſit vinum, aut cuius: habeat modo nomen, & colorem vini? id ſatis eſt nobis; delicias illas quærat Gallus, aut Italus. *Abſt.* Quæ ergo poteſt eſſe delectatio, cum id non guſtas, quod in corpus ingeris? *Tri.* Fortaſſe nonnulli initio aliquid guſtant, integro palato: mox vero depravato, ex tanta humoris redundantia, guſtum omnem amittunt. *Abſt.* Siti iam extincta, nulla ſupereſt voluptas, quæ tota ſita eſt in ſatisfaciendo deſideriis naturalibus: itaut tormenti ſit genus ſine ſiti bibere, aut ſine fame edere. *Tri.* Putas nos, Abſtemi, ad voluptatem potare, aut quod ſit iucundum? *Abſt.* Tanto ergo eſtis peiores beſtiis, quæ cupiditatibus naturalibus aguntur: vos neque

illuc ducit ratio, & retrahit natura. *Tri.* Ducit nos eo ſodalitas, & paullatim inebriamur imprudentes. *Abſt.* Quoties eſtis inebriati? quoties alios ebrios vidiſtis? *Tri.* Quotidie plurimos. *Abſt.* Non ſufficiunt ergo tam multa experimenta ad devitandum rem tam fœdam? atqui bellua vel uno experimento fieret cautior. *Glau.* At ſodales iſtos, in quorum gratiam tranſeunt ex hominibus in beſtias, ſcis quam habent charos? dum potant, darent illis præcordia: digreſsi illinc, vix agnoſcunt, vitam & animam cuiuſvis illorum nollent redemptam ſibi nummo ſeſtertio. *Abſt.* Quibus ex poculis hauriebatis vinum, & quomodo? *Aſo.* Primum allata ſunt vitrea, paullo poſt, ob periculum ſublatis illis, exhibita argentea. In vinum iniiciebamus à primo herbulas, quod id ſuaderet anni tempus: paullo poſt ius carnium, lac, butyrum, cremorem. *Abſt.* O ſpurcitiem, ne belluis quidem tolerabilem! *Tri.* Quanto in *Tragi-*

*coteron* exclames, ſi ſcias alios in aliorum pocula manus ſordentes immittere? coniicere ovorum, & pomorum, & nucum putamina, & olivarum, ac prunorum oſſa? *Abſt.* Abſtine ab hiſce narrandis, ſi vis, ne me hinc in ſilvas aliquas fuga abripiam. *Tri.* Audi tu in aurem, Glaucia. Quidam horum geſtant in faciendo itinere cornu venatorium, plenum, ut neceſſe eſt pulvere, & ſtipulis, & floccis, & ſordibus aliis: ex hoc bibimus. *Glau.* Quid? *Tri.* Quid vero? vinum. *Glau.* Immo vero mentem. *Tri.* Plane ita eſt, & poſt epotam mentem, matulis non admodum mundis, ſumptis de ſcamno lecticari, uſi ſumus pro calicibus. *Abſt.* Quis fuit convivii exitus tamquam fabulæ? *Aſot.* Natant vino pavimenta. Inebriati ſumus omnes, hoſpes in primis homo ſtrenuus, deiectis ſub menſam magna victoria duobus, aut tribus. *Abſt.* O præclaram victoriam, & de re pulcherrima, ac prædicanda! Sed omnes tamen

vinum vicit? *Aſot.* Etiam. *Abſt.* Miſerum te, quid putas eſſe ebrium? *Aſot.* Probe & ex animi ſententia indulſiſſe Genio. *Abſt.* Cui genio? bono, an malo? *Glau.* Si recte omnia ſcruteris, nuſquam invenies cui indulgeant: neque enim animo, nec voluptati, nec ulli rei alteri, cui alii indulgent, qui vitiis obtemperant, & pravis animi cupiditatibus. Sed inebriari eſt, ſenſuum facultates amittere, exire de poteſtate rationis, iudicii, mentis: plane ex homine fieri vel pecus, vel ſaxum. Quæ deinceps ſequantur, & ſi numquam ebrios vidi, tamen facillimum eſt coniectare: loqui, & neſcire quid loquaris: ſi quid commiſſum eſt tibi arcanum maxime celandum, effutire: atque ea dicere, propter quæ te, & tuos, & ſæpe patriam, ac provinciam univerſam in grave diſcrimen adducas: nulla diſtinctio amici, & inimici, uxoris, & matris: rixæ, iurgia, inimicitiæ, plagæ, vulnera, mutilatio, occiſio. *Tri.* Etiam ſine ferro, & ſan-

ſanguine; nam non pauci continuant ebrietatem cum morte. *Glau.* Quis non malit domi ſe cum cane aliquo, aut fele includere, quam cum ebrio? plus enim mentis eſt in illis animantibus. *Abſ.* Poſt ebrietatem vero cruditas, debilitatio nervorum, paralyſes, arthretici cruciatus, gravedo capitis, & corporis totius, hebetatio ſenſuum omnium, memoria extinguitur, 5 ingenii acies retunditur: unde ſtupor in tota mente, & ad intelligendum, ſapiendumque, & ad eloquendum. *Aſot.* Iam incipio intelligere, magnum eſſe malum ebrietatem; poſthac dabo ſedulam operam ut bibam ad hilaritatem, non ad ebrietatem. *Glau.* Hilaritas eſt ianua ebrietatis: nemo venit ad bibendum eo animo, ut inebrietur: ſed bibendo exhilaratur, continuo poſt ſequitur ebrietas. Dificile eſt enim ſignare hilaritatis metam, atque in ea ſiſtere. Lubricus eſt gradus ab hilaritate ad ebrietatem. *Abſ.* Dum vinum habes in ſcypho il-

lud eſt in tua poteſtate: dum in corpore, tu es in illius, haberis iam, non habes: cum bibis, tu tractas vinum pro tuo libito, poſtquam biberis, illud te tractabit pro ſuo. *Aſot.* Quid ergo? numquamne eſt bibendum? *Abſ.*

*Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.* 6

Bibendum quidem non potandum: natura ſola in hoc docet bruta, hominem non docebit eadem natura ratione adiuta? Edes cum eſuries, bibes cum ſities, fames, & ſitis admonebunt quantum, quando, quatenus edendum, & bibendum. *Aſot.* Quid ſi ſemper ſitiam, nec ſitim poſsim mitigare, quin fiam ebrius? *Abſt.* Bibe, quod inebriare non poſsit. *Aſot.* Non fert conſtitutio mei corporis. *Abſt.* Quid ſi tantum eſuries, ut exatiari nullo cibo poſſes, niſi diſrumpereris? *Aſot.* Ea vero non eſſet fames, ſed morbus. *Abſt.* Nimirum opus eſſet medicina ad eam famem tollendam, non dapibus nonne? *Aſot.* Quid ni? *Abſt.*

Eo-

Eodem prorſum modo medico tibi eſſet opus ad eam ſitim, non caupone: & potione de pharmacopolio petita, non de œnopolio: non eſt ea ſitis, ſed morbus, & quidem perniciosus.

---

1 *Pli. lib. 7. c. 56.* 2 *Alluſio ad iocum Plautinum.* 3 *Abſtemium aquæ poterem vocat Horat. lib. 1. epiſt. 3. ad Mace. Dicitur ab abſtineo, & temetum, quod antiquis valebat vinum.* 4 *Philogræcus, Varronis vocabulum.* 5 *Unde illud vinum memoria mors.* 6 *Horat. in epiſt. quæ vulgo poetica dicitur.*



# REGIA.

*Agrius*, *Sophornius*, *Holocolax.*

ARg. Quid eſt, quod tam multi Regem comitantur, tam vario cultu? *So.* Quin tu potius vultus, contemplaris, quam cultus? magis ſunt enim vultus varii, ac diverſi, quam cultus, & veſtitus. *Arg.* Iſtud quoque de vultibus quamnam habet cauſam? *Sop.* Veſtiuntur quidem alias pro facultatibus, alias pro ratione dignitatis, aut generis, ſæpe etiam, ut cuiuſque eſt vel ambitio, vel vanitas, multi quoque veſtimentorum elegantia utuntur pro hamo, & reti, ad favorem captandum, vel Regis, vel procerum, animos puellarum non raro. Vultus autem affectus animi ſequitur: talis eſt fere, qualis interior animi habitus. *Arg.* Sed cur tam multi huc conveniunt? *Hol.* An non de-

decet, ut plurimi ſint, ubi eſt caput, & regimen provinciæ totius? *Sop.* Optime: ſed plerique non adeo rempublicam ſpectant, ut privatam: & ſequuntur eum, in cuius manu eſt regimen non tam patriæ, quam fortunarum? *Hol.* Quidni? quandoquidem omnia ſunt pecuniæ venalia. *Sop.* Sic iudicant illi, quibus animus, & mens nihil omnino eſt: valetudo autem, & dotes corporis viles. *Agr.* Quid opus eſt in hoc tumultu aulico tanta Philoſophiæ ſpeculatione? ego vero malim de vobis intelligere quinam ſint iſti tanto numero, tam varia ſpecie, ac forma? *Hol.* Ego tibi omnes percenſebo ordine: nam Sophronius hic, quantum intelligo, non eſt admodum in regiis verſatus; ego vero comitatus omnes regios adii, penetravi, perſcrutatus ſum, perſpexi, gratus ſemper omnibus, & iucundus. *Sop.* Inde, credo, paraſti tibi cognomen illud Holocolacis. 1 *Hol.* Rem tenes: ſed tu, Agri, auſculta. Ille, in quem

aures, oculi, mens omnium intente eſt, ac defixa, eſt Rex, caput Reipublicæ. *Sop.* Verè caput, & ideo ſalus, cum eſt ſapiens, * ac probus: pernicies autem, cum malus, aut demens. *Hol.* Ille qui pone ſequitur, puellus, eſt filius eius hæres, quem in aula Græca vocabant *Deſpotan*, hoc eſt dominum: in Hiſpania vocant Principem; in Gallia Delphinum. Torquati illi in veſtibus holoſericis, &

* *Sic Magnus Carolus VI. noſter, Caſtellæque III. verè Rex, quia ipſemet regit: verè caput, quia ipſemet imperat: verè ſalus, quia ipſemet medicatur, ſecluſis antris.* O! Hiſpanos verè felices! *Rex verè ſapiens, quia iuſtus: verè Iuſtus, quia principium, & finis debiti ſoluti, & ſolvendi ſuorum prædeceſſorum. Quid ultra? verè potimur vere.* Deo gratias. = Hæc animi figitur gratitudo poſtridie nonas Martii, quibus colitur feſtum *Veremundi, Navarræ verè filii.*

& holobrizis, proceres ſunt regni, inſignes dignitatum militarium nominibus, principes, duces, præſides limitanei, 2 quos marchiones nominant, comites, viri, qui barones voce barbara nominantur, equites. Ille eſt magiſter equitum, quem vulgo Comitem ſtabilem appellant, nomine ex aula Græca ſumpto, ubi magnus Conneſtabulus cognominabatur, ficut præfectus maris, Admiralus. 3 Eſt & prætorio præfectus, qui non ſolum palatio præerat, ſed etiam ſatellitio, quem, Romuli tempore, præfectum celerum nominabant, & ſatellites ipſos Celeres. *Agr.* Quinam ſunt illi in veſtibus talaribus, magna ſeveritate vultus? *Hol.* Sunt regii conſultores. *So.* Iſtos, quos in conſilium adhibet Princeps, prudentiſsimos eſſe oportet, magni rerum uſus, & in decernendo gravitatis, ac moderationis ſummæ. *Agr.* Qui iſtuc? *So.* Quia ſunt oculi, & aures Principis, atque adeo Regni univerſi, & eo magis, ſi cæcus, aut ſur-

dus

dus ſit Rex, captus ſuis ſenſibus, vel ab ignorantia, vel à deliciis. *Agr.* Etiamne luſcus ille, & ille alter ſurdaſter, oculi, atque aures ſunt Regis? *So.* Peior eſt cordis cæcitas, & ſurditas. *Hol.* Eos, qui ſunt à conſiliis, ſequuntur ſcribæ, nec ii pauci, vel unius ordinis: tum qui pecuniam principalem tractant, vel procurant, coactores, tribuni ærarii, præfectus fiſci, procurator fiſci, & fiſci advocatus. *Agr.* Qui ſunt iuvenes illi comptuli, & feſtivi, qui ſemper Regem ſectantur, & adſtant illi, alii arridentes, alii ore aperto velut admirabundi? *Hol.* Hæc eſt cohors intimorum amicorum, deliciæ, atque oblectamenta Regis. *Agr.* Duos illos ingredientes cur aſſectantur tam multi vultuoſi? *Hol.* Quia iis eſt apud Regem fides præcipua: alter eſt præfectus ſacris ſcriniis, ſive princeps ſcribarum: alter à ſecretis arcanis, apud quem eſt Regni brebiarium: idem eſt Principi à memoria: eaque de cauſa, offerunt

runt ſe illi quotidie tam multi, ut memoriam illius de ſe refricent, ac renovent, quandoquidem is eſt principis memoria. Illi autem, qui ducunt vultus, ſunt litigatores, quique res ſuas perſequuntur: nec eorum unquam negotia finem inveniunt, longa contexta ſerie procraſtinationum 4. Duo illi, qui deambulant in porticu, præfecti ſunt: alter cubiculo, alter regio equili: habent hi ſub ſe alios permultos cubicularios, & equiſones. Sed ingrediamur regiam cœnationem. *Agr.* Ah quanta turba, qui apparatus tam anxius, & moroſus! *Sop.* Id vero, maiore cum admiratione fueris intuitus, ſi ſcias, quam levem ad rem pertinet, nempe, ut ſorbeat ovum unum, & pauxillum vini bibat nauſeabundus. *Hol.* Ille eſt hebdomadæ huius architriclinus. cum ſcirpo Indico: pocillator eſt adoleſcens ille; ſtructor nondum eſt ingreſſus. *Agr.* Qui ſunt cum Rege pranſuri? *Hol.* Quinam eſſet tam beatus, qui poſſet epulis accumbere divum? *Scop.* Atqui olim re-

giæ

giæ menſæ adhibebantur convivæ, modo duces exercitati, modo viri claro genere: alias inſignes vel uſu rerum, vel eruditione, quorum ſermone Rex fieret melior, ac ſapientior. Sed Gothica, & aliorum barbarorum ſuperbia morem hunc noſtrum invexit. *Hol.* Habent proceres aſſeclas ſuos armigeros, exoletos, pueros pediſſequos, pueros à pedibus, ſive à calcari. Sunt inter eos divites magnificentiſsimi, qui pleroſque excipiunt cœna recta: alii, quibus hoc moleſtum videtur mittunt amicis ſportulas, id que eſt tenuioribus utilius, ſed recta convivari plus habet ſplendoris. *Agr.* Aliud hominum genus videre mihi videor in illo cœnaculo. *Hol.* Illud eſt gynæceum, 5 ibi Regina habitat cum matronis ſuis, & puellis: aſpice, ut ingrediuntur, & egrediuntur ex parthenone, 6 tamquam apes ex alveario, iuvenes amatores, mancipia Cupidinis. *Sop.* Sæpe, & ſenes, bis pueri. *Hol.* Nihil eſt maioris voluptatis, quam audire illo-

rum acute excogitata dicta , vel pœmata , cantiunculas , melodias antelucanas , confabulationes cum puellis, videre ſaltationes, obambulationes , varietates colorum in cultu , habitus , & formas veſtimentorum : habent pueros amanuenſes , per quos mittuntur, & remittuntur mandata : hi vero nunciant , & renunciant ultro , & citro mandata , qua ſolertia , diligentia , educatione ? divi veſtram fidem , nudis capitibus , flexo poplite, atque etiam poſitis genibus, audire eſt quotidie , & videre aliquid novi inopinati , acute , & ſubtiliter , & excogitati , vel dicti, animoſe, aut dextere , aut ſolute facti. *Sop.* Immo diſſolute. *Hol.* Quæ felicitas maior ? quis poſsit ab huiuſmodi ſuavitate divelli ? *Sop.* Colax , Colax , & tu ſine amore inſanis , & ſine vino ebrius es : quæ ineptia poteſt eſſe maior , quam iſta abs te deſcripta ? *Hol.* Neſcio, qui fiat , ut ex ſcholis videas pleroſque diſcedere , ingreſsi ſemel aulam in ea conſeneſcant. *Sop.*

Tam-

Tamquam qui de Circes poculo biberant, amiſſa mente, & in belluarum ingenium degenerantes, nolebant inde egredi, & ad hominum naturam, ac conditionem redire. *Agr.* At hi omnes, cum ſe ad ſuam quiſque domum receperunt, quid agunt? quibus ſe actionibus occupant, ut ſaltem fallant tempus? *Sop.* Plerique omnes nihil magis addunt ſerium, quam quod cernis, atque adeo otium illis multorum vitiorum parens eſt, ac nutricula. Ludunt quidam taxillis, chartis, alveolo, aciebus: alii per occultam detractionem, & artificioſam maledicentiam horas pomeridianas tranſmittunt, hoc eſt, quibus domi deſident: aliqui mirifice capiuntur ſcurris, 7 & planis, in quos ſunt profuſiſſimi, cœtera præparci, & ſordidi. Sed præcipua aulæ corruptella, eſt aſſentatio uniuſcuiuſque erga alios omnes, quodque peius eſt, erga ſemetipſum: ea efficit, ut nullus umquam nec à ſe, nec à ſocio veritatem conducibilem audiat, niſi

for-

ſorte in iurgio: quam is tum parum pro veritate accipit, ſed pro contumelia. *Hol.*

*Hic quæſtus eſt nunc multo uberrimus.* 8

Tu cum tua veriloquentia eſuries ſtrenue: ego, arridendo, adblandiendo, omnia adprobando, & laudando, evaſi locuples. *Agr.* Non poſſent hæc incommoda Reges corrigere? *Sop.* Perfacile, vellent modo. Sed aliis hi mores placent, quia ſuorum ſimiles: alii ipſi ſibi eas occupationes accerſunt, per quas numquam vacet recti aliquid, aut ſani cogitare: non deſunt, qui, remiſsis animis, & diſſoluti, non arbitrantur ullius domus, ac familiæ mores ad curam ſuam pertinere: quæ non pertinet profecto minus, quam ad unumquemque noſtrum ſua domus privata.

---

1 *Holocolacis; id eſt penitus adulatoris.* 2 *Qui in limitibus regni conſtituuntur in præſidio.* 3 *Alias admirabilis.* 4 *Procraſtinationum; id*

*id eſt temporis, ſive termini.* 5 *Gynæceum eſt locus ſecretior in ædibus mulieribus aptus.* 6 *Ex parthenone: id eſt, loco ubi habitant Virgines.* 7 *Scurra, vulgo bufonada, bagatella.* 8 *Teren. in Eu. act. 2. ſec. 2.*

---

## PRINCEPS PUER.

*Morobolus, Philippus, Sophobulus.*

MOrobolus. Quid agit tua celſitudo, Philippe? *Phi.* Lego, & ediſco, ut ipſe intueris. *Mor.* Intueor ſane, & cum dolore: defatigas te, & maceras generoſiſsimum iſtud corpuſculum. *Phi.* Quid ergo agerem? *Mor.* Quod alii proceres, principes, viri nobiles, & opulenti, equitare, confabulari cum puellis Auguſtæ matris tuæ, ſaltare, diſcere artem tractandi arma, luſitare foliis, aut pila, ſalire, currere. Hæc vides eſſe ſtudia nobilitatis iucundiſsima. Quod ſi tantis oblectationibus fruun-

fruuntur, qui vix digni ſunt, ut in familiam tuam admittantur, quid te facere convenit, tanti principis filium, & hæredem? *Phi.* Quid ſtudium litterarum, nihilne prodeſt? *Mor.* Prodeſt quidem, ſed iis, qui ſunt initiandi ſacris, aut qui ea arte victum ſunt ſibi comparaturi, quemadmodum aliis ſutoria, aliis textoria, & artes cæteræ quæſtuariæ. Surge, quæſo te, pone libros de manibus, eamus deambulatum, certe ut reſpires aliquantiſper. *Phi.* Non licet mihi nunc per Stunicam, & Siliceum. *Mor.* Qui ſunt hi Stunica, & Siliceus? an non ſubditi tui, in quos tu habes imperium, non illi in te? *Phi.* Stunica eſt educator meus, Siliceus autem inſtitutor litterarius. Subditi ſunt illi quidem mei, ſeu verius patris, ſed pater, cui ego ſum ſubditus præfecit illos mihi, & me illis ſubiecit. *Mor.* Quid? ergo dedit pater celſitudinem tuam in ſervitutem illis hominibus? *Phi.* Neſcio. *Mor.* Ah, facinus indigniſsimum! *Sop.* Minime

nime vero , ò fili , immo illos fecit ſervos tuos , quos voluit tibi ſemper adhærere , oculos , aures , animum , mentem in te unum defixa gerere ſemper , & relictis ſuis quemque negotiis , tuum unius negotium agere : non , ut te imperioſe vexent , ſed , ut rudes tuos mores boni illi , & ſapientes viri ad virtutem , decus , atque excellentiam forment : non quo te reddant mancipium , ſed , ut vere liberum , & vere principem , quibus ſi non obtemperaveris , tum demum ſervus eris extremæ conditionis , peior iis , qui inter nos verſantur , empti & venditi ex Æthiopia , vel Africa. *Mor.* Cuius tandem eſſet mancipum , ſi illis educatoribus morem non gereret? *Sop.* Non certe hominum , ſed vitiorum , qui domini ſunt importuniores , atque intolerabiliores quovis homine improbo , & ſceleroſo. *Phi.* Non ſatis iſta intelligo , quæ dicis. *Sop.* At intellexiſti : quæ Morobulus ? *Phi.* Planiſſime omnia. *Sop.* O quam eſſent

ho-

homines felices, ſi quam cito habent ſenſum, atque intelligentiam rerum levium; & malarum, haberent etiam bonarum; & conducibilium! Nunc vero; contra evenit; ætate iſta nugas, ineptias, immo inſanias, ad quas te Morobulus eſt adhortatus; facile intelligis, quæ ego de virtute, de dignitate, de omni laudis genere dicerem, tam caperes; quam ſi Arabice loquerer, aut Gothice. *Phi.* Quid ergo faciendum conſuleres? *So.* Ut ſaltem ſuſtineres aſſenſionem, nec huius ſuaſibus, nec meis aquieſceres, quoad de utriuſque poſſes iudicare. *Phi.* Quis dabit hoc iudicium? *Sop.* Ætas, inſtitutio, experimenta. *Mor.* Hui, quam eſſet longum iſta expectare. *Sop.* Bene monet Morobulus: abiice libros, eamus luſitatum, & ludemus ludum, in quo unus eligitur rex: is præſcribit aliis, quæ ſint agenda, parent cœteri iuxta leges luſionis: tu eris rex. *Phi.* Ut erit ludus? nam, ſi eum ignorem quomodo potero regem in

illo

illo agere? *Sop.* Quid dicis Philippule, dulciſsime, deliciæ Hiſpaniarum? in ludo, & rebus leviſsimis, in quibus error nihil affert periculi, non auderes regnum ſuſcipere, ludi neſcius, & vis tot, & tanta regna ſerio capeſſere, ac regere, ignarus conditionum, populorum, legum adminiſtrationis, denique rudis totius prudentiæ, inſtructus ſolum ridiculis ineptiis, quas tibi Morobolus hic in animum inſtillat? Heus puer, dic præfecto equilis, ut proferat huc equum illum Neapolitanum, & ferociſsimum calcitronem, & ſternacem: in quo Philippus ſedeat. *Phi.* Minime vero illum, ſed alium cicuritiorem: nam regendi equi tam refractarii nondum artem habeo, nec vires. *Sor.* Quæſo, Philippe, & putas tu leonem illum eſſe æque ferocem, aut equum adeo calcitronem, & refractarium, & minus parentem frænis, q[illegible]m gentes, ac cœtus hominum, qui conveniunt, & congregantur ex omni vitiorum, flagitiorum, ſce-

le-

lerum, & facinorum genere? ex animi perturbationibus concitatis, incenſis, inflammatis, ardentibus? equum non audes attingere, populum poſcis quovis æquo ad regendum, tractandumque difficiliorem? Sed miſſa iſthæc faciamus. Vides in hoc flumine illam cymbulam? navigatio eſt iucundiſsima, atque amœniſsima inter prata, & ſalicta, quæſo deſcendamus in eam: tu ſedebis ad clavum, & ages cymbam. 1 *Phi.* Ita plane, ut vos ſubvertam, & demergam, quemadmodum nuper fecit Pimentellulus. *So.* Ne cymbam quidem gubernare vis, in amne tam modico, & tam placido, quia indis, & committis te mari illi, undis, fluctibus, tempeſtati populorum, inſcius, & inexpertus? plane uſu tibi evenit, quod Phaetonti: qui, aurigandi neſcius ardore iuvenili, currum patris gubernandum ſibi depopoſcit: notam eſſe tibi fabulam reor. Præclare Iſocrates, duas res maximas in hominum via dicebat eſſe, prin-

cipatum, & ſacerdotium: quas tamen nemo non expeteret tamquam dignus, nemo non crederet ſe recte poſſe gubernare tamquam prudentiſsimus. *Phi.* Intelligo nihil eſſe conditioni, ac perſonæ meæ perinde neceſſarium, ut artem, ac peritiam regendi regni. *So.* Probe rem tenes. *Phi.* Quomodo eam aſſequar? *So.* Eduxiſti tu illam tecum ex matris utero? *Phi.* Nihil minus. *So.* Quomodo igitur ſcies, niſi diſcas? *Phi.* Nullo modo. *So.* Qua igitur fronte audet Morobulus hic eſſe tibi auctor, ut ea ſtudia reiicias, quibus & artis huius peritia, & aliarum rerum maximarum, ac pulcherrimarum cognitio paratur? *Phi.* A quibus ergo ſunt hæc haurienda? *So.* Ab iis, qui ea maximis ingeniis animadverterunt, atque obſervaverunt, quorum alii ſunt mortui, alii vivi. *Phi.* E mortuis quomodo diſcendum? poſſuntne mortui loqui? *So.* Numquamne fando audiviſti nominari Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, Senecam, Livium, Plutar-

tarchum? Phi. Magna nomina: ſæpe, & cum ingenti admiratione, ac laude. So. Illi ipſi, & alii permulti eorum ſimiles, iam olim vita functi, confabulabuntur tecum, quoties, & quamdiu libuerit. Phi. Quomodo? So. Libris, quos ad docendam poſteritatem reliquerunt. Phi. Quin dantur mihi iam in manus? So. Dabuntur brevi, poſteaquam didiceris eum ſermonem, quo poſsis loquentes illos intelligere. Suſtine paulliſper, atque hanc brevem moleſtiam perfer, quæ devoranda eſt in accipiendis principiis: illico poſt incredibiles ſequentur delectationes: quas qui nondum deguſtarunt, mirandum non eſt à literato ſtudio abhorrere. Nam, qui ſunt experti, eo citius à vita, quam à libris, & rebus cognoſcendis avelleris. Phi. Cedo vero, qui ſunt vivi, à quibus ſapientia hæc diſcenda eſt, & mens bona? So. Si iter eſſes quodpiam initurus, à quibus tandem de itinere percunctareris? utrum ab iis, qui

iter illud nunquam vidiſſent, an, qui aliquando confeciſſent? *Phi.* Ab iis ſcilicet, qui confeciſſent. *So.* Vita hæc nonne eſt velut iter quoddam, & profectio perpetua? *Phi.* Sic videtur. *So.* Qui ergo iter hoc perambularunt? ſenes, an iuvenes? *Phi.* Senes. *So.* Senes igitur auſcultandi. *Phi.* Omnes indifferenter? *So.* Acute rogas: non omnes promiſcue: ſed, quemadmodum de via, ſic de vita: utri norunt viam, qui eam peregerunt nihil animadvertentes, aliud agentes, animo non minus peregrinante, quam corpore; an qui annotarunt diligenter, & attente ſingula, & memoriæ mandarunt? *Phi.* Nimirum hi poſteriores. *So.* Ergo in conſilio de vitæ ratione capiendo non audiendi iuvenes, qui iter hoc nunquam ſunt ingreſſi: quanto minus adoleſcentes, & quod ſtultiſſimum eſt, atque indigniſſimum, pueri? neque ad id admittendi ſenes imprudentes, laſcivi, dementes, deteriores pueris: quos divina oracula exe-

cran-

crantur, quod ſint pueri centum annorum. Solis præbendæ aures ſenibus magni iudicii, uſus rerum, & prudentiæ. *Phi.* Quo ſigno eos dignoſcam? *So.* Nimirum ætate iſta, fili, nullo adhuc, ſed ubi maius, & firmius acceſſerit iudicium, facile id cognoſces ex verbis, & factis, tamquam nota certiſsima. Interea vero, dum ea ingenii facultate non vales, crede te cunctum, & committe patri tuo, & iis, quos tibi pater adiunxit inſtitutores, ac magiſtros, infirmæque iſtius ætatis gubernatores, & quaſi manuductores per eam viam, quam tu numquam inviſti. Nam patri, cui chariores, quam ipſemet tibi, maior eſt de te cura, quam tibi ipſi; atque ad eam rem non ſolum ſuo uſus eſt conſilio, ſed hominum ſapientum. *Mor.* Nimis diu tacui. *So.* Ita plane, præter morem tuum: eamque rem ego iam dudum vehementer demirabar. *Mor.* An non pater tuus Philippus, & rex Galliæ, & alii magni reges, ac prin-

cipes, ſine litteris, & labore iſto tam moleſto, quem hic teneris tuis humeris inclementer imponit, regna, & ditiones ſuas regunt, & in officio continent? *Se.* Nulla res tam facilis eſt, quæ non fiat difficilis, ſi invitus facias 2. Non eſt opera litteris impenſa laborioſa ei, qui libens eam ſubit: qui autem invitus, ei vero, vel luſitare, & in locis deambulare amœniſsimis, grave, ac intolerandum eſt: tibi, Morobule, nugandi avidiſsimo, & nugis ſemper aſſueto, ſerium aliquid, vel agere, vel audire, inſtar eſt mortis: viciſsim alii complures vitam ſibi exiſtimarent acerbam, ſi ad iſtum modum vitæ ſuæ rationes inſtituerent. Quam multi ſunt, in aulis præſertim, quibus nihil eſt dulcius, quam otium torpens, atque inertiſsimum? admovere manum alicui operi, tormenti eſt loco: quam multi viciſsim in populis, qui emoriantur citius, quam ſic dies omnes vacuos tranſigere: & celerius delaſſentur nihil agendo, quam

ab

ab intenſione animi in negotium aliquod? Sed ut reſpondeam tibi de Cæſare, & rege Galliæ, audies à me in univerſum de ſenibus, quos poſui eos eſſe, qui ſpatium hoc vitæ decurriſſent. Si omnes, quotquot viam quampiam peregiſſent, concorditer narrarent, ſe per viam in locum incidiſſe plenum difficultatis, & periculi, ex quo ſaucii, & peſsime affecti diſceſſerint; quod ſi eiuſmodi iter rurſum eſſent ingreſſuri, nihil diligentius caverent, quam illud diſcrimen, quid tu cenſes, an non hominis foret amentiſsimi, cum eadem ipſe via inſiſteret, non recordari tanti periculi, non illud devitare? *Phi.* Nondum teneo quid velis. *So.* Faciam igitur planius exemplo: finge eſſe ſupra flumen iſtud tabulam anguſtam pro ponticulo: referant tibi omnes, quotquot equo inſidentes tentarint illam tranſire, decidiſſe in aquam, adiiſſe vitæ diſcrimen, ægre eſſe extractos ſemivivos: intelligiſne hoc? *Phi.* Belliſsime. *So.* Quid tu

iam, an non tibi demens videreère, ſi faciens illac iter, non ex equo deſcenderes, & effugeres id periculum, in quod alios veniſſe audis? *Phi.* Nimirum ita agerem. *So.* Et merito. Quære tu iam ex ſenibus, quid maxime ſenſerint incommodi in vita, quid eos prætermiſiſſe doleat, & vehementer pæniteat? omnes tibi uno ore reſpondebunt, qui aliquid didicerunt, Non plus didiciſſe; qui vero nihil, Non adhibuiſſe operam, ut aliquid ſcirent. In hanc quærimoniam ingreſsi, non faciunt finem referendi, miſſos ſe fuiſſe à parentibus, aut educatoribus ad ſcholas, & magiſtros litterarum: ſe tamen, vanis delectatiunculis, vel luſionum, vel venationum, vel amorum, aut eiuſmodi nugarum illectos, amiſiſſe pulcherrimas è manibus diſcendi occaſiones: itaque conqueruntur de fato ſuo, & ſortem ſuam deplorant, ac ſemetipſos accuſant, damnant, interdum quoque execrantur. Vides ergo locum hunc deſidiæ, atque ig-

ignorantiæ eſſe in via hac vitæ maxime infeſtum, & periculoſum, unumque omnium præcipuè debitandum? quoniam quidem audis tam miſerabiles eorum querellas, qui in illum ſunt collapſi: is eſt igitur omni cura, & diligentia cavendus, & ſegnitie, otio, deliciolis, nugis reiectis, ac ſpretis, in ſtudia litterarum, cultumque bonæ mentis, tota animi intentione incumbendum. Tu hac de re patrem tuum roga, tametſi iuvenem adhuc: & tu Morobule, tuum, iam ſenem: intelligetis ex eis, veram eſſe meam ſententiam.

---

1 *Varro. Flexibul.* 2 *Villato, quod vulgo rizado vocant.* 3 *Agere cymbam, vulgo governar la barca.* 4 *Terent. in Heaut, ac. 4. ſc. 6.*

## LUDUS CHARTARUM, SEU foliorum.

*Valdivara*, *Tamayus*, *Lupianus*, *Caſtellus*, *Manricus*.

V*Ald.* Quam aſperum tempus, quam rigens & ſævum cælum, quam obſcœnum ſolum! *Tam.* Quid nos monet hic cæli, ac ſoli habitus? *Val.* Non egredi domo. *Tam.* Quid vero domi agere? *Val.* Ad luculentum focum ſtudere, meditari, cogitare de rebus, quæ aliquid emolumenti afferant menti, & probis moribus. *Caſtel.* Id quidem agendum præcipue, nec aliquid eſſe debet homini antiquius. Sed, ubi ab intentione illa delaſſatus fuerit animus, quo divertet, hoc dumtaxat tempore? *Val.* Aliis quidem aliæ ſunt animorum refectiones, ego vero luſu foliorum magnopere oblector, ac recreor. *Tam.* Et hæc

hæc temporis qualitas eo invitat, ut abdamus nos in cubiculum bene clauſum, & obſeptum undique à vento, & frigore, lucente camino, menſa poſita cum chartis. *Val.* Au, minime chartas. *Tam.* Luſorias dico. *Val.* Iſtud placet. *Tam.* Tum pecuniæ promatur nonnihil, & calculi ad computandum. *Val.* Nihil opus erit calculis, ſi minutuli adſint nummi. *Tam.* Ego nullos habeo, præterquam aureos, & argenteos craſsiores. *Val.* Commuta aliquos ex argenteis minuta pecunia: heus, puer, cape ſtuferos hos ſimplos, duplos, ſeſquiduplos, & à nummulario cura nobis nummos minutos, ſimplos, duplos, triplos, non maiores. *Tam.* Quam nitidi ſunt hi nummi? *Val.* Nimirum recentes adhuc, & aſperi. *Tam.* Concedamus in forum aleatorium, ubi omnia inveniemus parata. *Caſt.* Non expedit: nam haberemus arbitros plurimos. Quid refert ludas illic, an via publica? Conſultius fuerit, ut recipiamus nos in cubi-
 cu-

culum tuum, & accerſamus ex ſodalibus aliquot, maxime animo refocillando idoneos. *Tam.* Tuum conclave eſt ad id commodius: nam in meo cubiculo ſubinde à pediſſequis matris interpellaremur, aliquid ſemper quæritantibus in arcis mundi mulieribus. *Val.* In cœnatione igitur. *Tam.* Eſto ita, eamus. Puer, ſiſte hic nobis Franciſcum Lupianum, & Rhodericum Manricum, & Zoilaſtrum. *Val.* Mane: minime vero Zoilaſtrum, hominem iracundum, rixoſum, clamoſum, calumniatorem, & qui minimis de rebus excitat ſæpe atroces tragædias. *Caſtel.* Optime profecto mones: nam ſi adoleſcens talis recreationi ſe noſtræ admiſceret, non eſſet id ludere, ſed ſerio rixari, accerſe igitur pro illo Rimoſulum. *Val.* Neque hunc: niſi velis, quæcunque hic fuerimus nugati, ante ſolis Occaſum notum eſſe toti civitati. *Caſtel.* Tam bonus eſt præco? *Val.* Etiam rerum, quas ſciri nihil attinet: nam res bonas ſacratius reti-

tinet: quam myſteria eleuſina. *Tam.* Veniant ergo Lupianus, & Manricus ſoli. *Caſtel.* Hi ſunt belli ſodales. *Tam.* Et mone illos, ut afferant ſecum nummulos: quidquid eſt autem ſeveritatis, & ſerii, domi commendent Philopono tetrico: veniant facetiis, lepore, gratiis comitati. *Lup.* Salvi ſitis, ſodales feſtiviſsimi. *Val.* Quid ſibi vult contractio iſthæc frontis? exporrigite iſtos vulticulos: an non eſtis iuſsi, cogitationes omnes litteratas apud Muſæa deponere? *Lup.* Cogitationes noſtræ litterariæ adeo ſunt illiteratæ, ut eas Muſæ, quæ ſunt in Muſæo, reſpuant. *Man.* Salvete. *Val.* Salus eſt dubia, quando ad acies, & pugnas vocamini, & quidem quibus reges ſint interfuturi. *Tam.* Eſte bono animo: crumenæ impetuntur, non iugula. *Lup.* Crumena pleriſque eſt pro iugulo, & pecunia pro ſanguine, ac ſpiritu: velut iſtis Caribus, I quorum vitæ contemptus, inſtrumentum eſt regibus ad exercendos ſuos furores.

*Man.*

*Man.* Nolo ego eſſe actor in hac fabula, ſed ſpectator. *Tam.* Qui ſic? *Man.* Quia ſum infortunatiſſimus, ſemper à ludo diſcedo victus, & ſpoliatus. *Tam.* Scis, quid dicunt proverbio aleatores? ibi quærendam eſſe togam, ubi amiſeris. *Man.* Verum, ſed periculum eſt, ne dum togam amiſſam quæro, perdam, & tunicam, & interulam. *Tam.* Accidit quidem hoc non raro, ſed qui non periclitatur, non diteſcit. *Man.* Ea eſt metallicidarum ſententia. *Tam.* Immo etiam Ianimedii 2 Antuerpienſis. *Val.* Recte habet: non poſſumus niſi quatuor ludere, ſumus quinque: ſortiemur, quis erit aliorum ſpectator. *Man.* Ego ero ſine ſortitione. *Val.* Nihil tale: nulli eſt facienda iniuria, non cuiuſquam voluntas id decernet, ſed ſors: cui primus rex obtigerit ſedebit otioſus ſpectator: &, ſi quid inciderit controverſiæ, iudex. *Lup.* Ecce vobis faſciculos duos foliorum integros, alter eſt Hiſpanienſis, alter Gallicus. *Val.* Hiſ-

pa-

panienſis hic non videtur iuſtus. *Lup.* Quid ita? *Val.* Quoniam deſunt decades. *Lup.* Non ſolent illi habere, ut Gallici: Chartæ enim Hiſpanæ, quemadmodum, & Gallicæ, in quatuor ſunt genera, ſeu familias diviſæ. Hiſpanæ habent aureos nummos, carcheſia, 3 baculos, enſes. Gallicæ corda, rhombulos, 4 trifolia, vomerculos, 5 ſeu palas, ſeu ſpicula: eſt in quaque familia rex, regina, eques, monas, dyas, trias, quaternio, pentas, ſenio, heptas, ogdoas, enneas. Gallicæ habent etiam decades: & Hiſpanis aurei, & carcheſia potiora ſunt pauciora; contra enſes, & baculi. Gallis autem plura ſunt ſemper meliora. *Caſt.* Quo luſu ludemus? *Val.* Triumpho Hiſpanico, & diſtributor retinebit ſibi indicem chartam, ſi ſit monas, 6 aut imago humana. 7 *Man.* Sciamus iam, quis erit ludo excluſus. *Tam.* Probe mones, cedo folia, hoc eſt tuum, hoc iſtius, hoc Lupiani: tu es iudex. *Val.* Malim te mihi

ju-

iudicem, quam colluſorem. *Lup.* Bona verba, cur iſthuc, quæſo? *Val.* Quia es in ludendo admodum vafer, & cavillator: tum aiunt te artem tenere componendi folia, ut tibi expediat. *Lup.* Non habet fraudem mea luſio, ſed imperitiæ tuæ induſtria mea videtur impoſtura, quod ferè ignaris contingit. Cœterum, qui tibi placet Caſtellus? qui, ſimulac lucratus eſt pauxillum pecuniæ, deſerit colluſores. *Tam.* Eludere eſt hoc quidem, potius quam ludere. *Val.* Levius hoc malum: nam, ſi vincatur, affixus erit ludo, clavo pluſquam trabali. 8 *Tam.* Sed luſuri ſumus bini, duo contra duos, quomodo erimus comparati? *Vald.* Ego, ludi huius inſciens, adhærebo tibi, Caſtelle, quem audio eſſe callentiſsimum. *Tam.* Adde etiam callidiſsimum. *Caſt.* Non eſt hic opus electionibus: ſorti ſunt committenda omnia, quibus obvenerint plura puncta, adverſus eos pugnabunt, quibus pauciora. *Vald.* Eſto ita, aſſig-

ſigna folia. *Manr.* Ut optaveram: ego, & Caſtellus ab eadem ſtamus parte, contrarias tuentur partes Valdaura, & Tamayus. *Vald.* Sedeamus, uti ſolemus, decuſſate: da mihi illam ſellam reclinatoriam, ut quietius perdam. *Tam.* Appone ſcabella, aſsideamus iam, ſortire, cuius ſint primæ partes. *Vald.* Meæ ſunt, diſtribue tu, Caſtelle. *Caſt.* Quomodo? à ſiniſtra in deſteram, more Belgico? an contra, Hiſpano more, à dextra in ſiniſtram? *Vald.* Hoc more, quoniam ludo Hiſpanorum utimur, & reieciſtin decades? *Caſt.* Etiam: quot folia dabo ſingulis? *Vald.* Novena. Sed, quænam erit ſponſio? *Manr.* Terni in ſingulas manus denarii cum geminatione ſponſionis. *Caſt.* Senſim, mi Manrice, nimium properas: non eſſet is luſus, ſed furor, ubi tantum pecuniæ veniret in periculum: quomodo poſſes tu oblectari in axietate illa, ne tot nummi tibi pereant? denarii ſinguli ſufficient, & auctus ſponſionis erit di-

dimidii, nempè aſsium quinque. *Vald.* Recte conſulis: ita nec nihil ludemus, quod eſt inſipidum: nec quod doleat, quod eſt acerbum. *Caſt.* Habetis ſinguli novena folia? cordium eſt familia dominatrix, & hæc regina eſt mea. *Vald.* Neſcio, quam felix eſt nomen hoc, certe eſt veriſsimum dominari vulgo corda fœminarum. *Caſt.* Deſine ſpeculationes, reſponde ad hoc, augeo ſponſionem. *Vald.* Ludum habeo diſsipatum, & male cohærentem: cedo tibi. *Tam.* Et ego item, diſtribue, tu Manrice. *Vald.* Quid agis? non vertis chartam indicem? *Manr.* Volo prius meas computare, ne plures, aut pauciores acceperim. *Vald.* Unam habes plus iuſto. *Manr.* Deponam. *Val.* Non eſt ea lex luſus, ſed, ut vicem tuam amittas diſtribuendi, & tranſeat ad ſequentem, cedo folia. *Manr.* Non faciam, quandoquidem nondum protuli indicem. *Vald.* Immo facies, per Deum. *Caſt.* Apage, quid tibi venit in mentem mi Valdaura? Iuſiurandum

dum admiſces rebus leviſsimis, quod vis graviſsimis rebus adhiberi convenit. *Manr.* Quid tu dicis. *Lup.* Profecto ignoro, quid ſit in eo facto ſtatuendum. *Manr.* Qualem judicem nobis præfecimus ſine iudicio? ducem ſine oculis? *Vald.* Quid ergo fiet? *Manr.* Quid tandem? niſi ut mittamus Lutetiam, qui hac de re afferat nobis aliquod Senatuſconſultum. *Caſt.* Miſce omnia, & rurſum impartire. *Tam.* O, qualem ludum mitto de manibus, non obveniet mihi hodie ſimilis. *Caſt.* Miſce probe iſtæc folia, & præbeto ſingulis attentius. *Vald.* Rurſum augeo ſponſionem. *Tam.* Num non prædixi, non habiturum me hodie in manibus ludum illi parem? ſemper ſum infortunatiſsimus: cur ego ludum, vel adſpicio oculis? *Caſt.* Hoc vero non eſt ludere, ſed ſe affligtare: hoc eſt refici, & recreari animum: ita concitari: ludum oportet eſſe ludum, non moleſtiam. *Manr.* Suſtine paulliſper, ne abiicias folia: nam eſt pani-

cum.

cum. 9. *Vald.* Reſponde igitur, an recipias. *Manr.* Recipio, & rurſum augeo. *Vald.* Quid tu ſperas me ferocibus tuis verbis protelare? non concedo. *Manr.* Effare tandem ſemel, & expedite, admittiſne? *Vald.* Etiam, & quidem libentiſsime, & animus inſtigat me tali ludo maiore pretio certare, ſed iſtud inter amicos ſufficit. *Tam.* Quid vero me non computatis inter vivos? adeo nulla eſt mei mentio? *Caſt.* Quid igitur tu ad hæc, homo fœnee? *Tam.* Ego vero augeo mea ex parte depoſitum. *Manr.* Quid tu dicis Caſtelle? *Caſt.* Nunc me conſulis, poſteaquam tuo opere depoſitum crevit in immenſum: ego incrementum hoc non auderem hoc meo ludo ſuſtinere. *Vald.* Reſponde affirmate. *Caſt.* Non habeo, quod ſic reſpondeam, ſed valde ambigue, & dubitanter, & cunctabunde, & timide, & diffidenter: eſtne ſic ſatis expreſſe dictum? *Manr.* Deum immortalem, quanta copia? non tam denſa nuper cadebat grando. Sed quæſo te,

pe-

periclitemur paulliſper. *Caſt.* Experiamur, quando ita tibi placet, à me vero ne ſperaris magnam opem. *Manr.* Feres tamen, quas poteris ſuppetias. *Caſt.* Nihil neceſſe id habes admonere. *Manr.* Plane victi ſumus. *Tam.* Vicimus denarios quatuor, miſce. *Vald.* Addo aſſes quinque. *Caſt.* Neſcio an cedam: nam ſcio me certo victum iri. *Tam.* Rurſum alteros quinque. *Caſt.* Quid tu ad hanc provocationem dicis? *Manr.* Quid dicam? fugio. *Caſt.* Tu perdidiſti proximum ludum, ſine me hunc arbitratu meo perdere. Sentio me eſſe inferiorem, ſed ſuſtinendum eſt, quamdiu aliquid videre ſupereſſe virium. *Vald.* Quid ergo dicis? recuſas? *Caſt.* Non, immo addico. *Tam.* Tu, Valdaura, non noſti hunc Caſtellum? ſuperiorem habet ludum tuo, ſed ita ſolet callidos provocatores illectare in ſuum rete. Vide, ne quo progrediaris temere, ubi tenearis irretitus. *Vald.* Divum fidem, quo modo potuiſti divinare folium mi-
hi

hi poſtremum reſtare huius nationis? *Caſt.* Novi omnia folia. *Vald.* Non omnino eſt iſthuc incredibile. *Caſt.* Ita plane novi à facie. *Vald.* Forſitan etiam à tergo. *Caſt.* Nimium ſuſpicioſus es. *Vald.* Tu me facis: eat hoc cum tua bona venia. *Tam.* Diſpiciamus num quæ ſint chartæ averſæ, maculatæ, unde poſsint noſcitari. *Vald.* Faciamus, quæſo vos, ludendi finem: angit me hic ludus tam infeliciter cedendo. *Caſt.* Ubi voles: ſed fortaſſe non in ludo eſt vitium, ſed in tua imperitia, qui neſcis ludum ſcienter ad victoriam accommodare, ſed iacis folia abſque arte, ut fors tulerit: ratus nihil intereſſe, quid prius, quid poſterius mittas, quis quo loco ſit iacturus. *Tam.* Omnium rerum eſt ſatietas, 10 etiam voluptatum, & ego defeſſus ium iam ſedendo, aſſurgamus aliquantiſper. *Lup.* Cape teſtudinem hanc, & aliquid nobis cantilla. *Tam.* Quid tandem? *Lup.* De ludo quippiam. *Tam.* Carmen Virgilii? *Lup.* Iſthuc ipſum:

ſum: aut ſi mavis, Vivis noſtri, quod ille nuper canebat deambulans in pomerio Brugenſi. *Val.* Anſerina voce. *Lup.* Cane tu olorina. *Tam.* Deus meliora: nam olor non canit, niſi fato iam urgente.

*Ludunt & pueri, ludunt iuveneſque ſeneſque:*
*Ingenium gravitas, cani, prudentia, ludus.*
*Denique mortalis, ſola virtute remota,*
*Quid niſi nugatrix, & vana eſt fabula, vita?*

*Vald.* Poſſunt vobis confirmare, eſſe carmen bene expreſſum, tamquam ex ſpongia arida. *Lup.* Tanta cum difficultate componit carmen? *Vald.* Magna: ſive quod raro, ſive quod non libenter, ſive quod alio fert eum ingenii pronitas.

---

1 *Caribus: id eſt, vilibus, avaris, ac ſordidis.* 2 *Iani-medii, locus eſt ubi negotiatores congregantur.* 3 *Carcheſia: id eſt,* Vas *iuxta illud*

Vi-

*Vigilii 5. Æneid. v. 77. Hic duo ritè mero libans carcheſia Baccho.* 4 *Rhombulos : id eſt, quadrilatera ſigna.* 5 *Vomerculos , vulgo el Trebol.* 6 *Monas , vulgo , el As.* 7 *Imago humana , vulgo , la figura Rey , Caballo , ò Sota. Hoc eſt regia , equiſtris , fœminea.* 8 *Clavo trabali : id eſt , prægrandi.* 9 *Panicum , vanus terror.* 10 *Satietas Iſocratis ſententia ad Demonicum, vulgo , todo canſa.*

## LEGES LUDI.

### Varius dialogus de urbe Valentia.

***Borgia , Scintilla , Cabannillius.***

BOrg. Unde tu iam nobis , Scintilla iucundiſſime ? *Scin.* Lutetia. *Borg.* Qua tandem Lutetia? *Scin.* Qua tandem , quæris ? quaſi ſint multæ. *Borg.* Etiam ſi ſit unica , ea quænam ſit ignoro , aut ubi ſita. *Scin.* Lutetia Pariſiorum.

*Borg.*

*Borg.* Pariſios nominari audieram: & quidem ſæpe. Lutetiam nunquam: eſt ergo Lutetia, quos nos Pariſios dicimus. Ea igitur eſt cauſa, cur tu tamdiu nulli es viſus Valentiæ, & potiſsimum in Sphæriſterio nobilitatis. *Scin.* Alia ego vidi Sphæriſteria Lutetiæ, alia gymnaſia, alios ludos, longe iſtis veſtris utiliores, ac præſtantiores. *Borg.* Ecquos, quæſo? *Scin.* Triginta gymnaſia plus minus in Academia illa, omni eruditionis ſcientiæ, & ſapientiæ genere referta: doctos præceptores, iuventutem ſtudioſiſsimam, & optime moratam. *Bor.* Vulgus ſcilicet hominum. *Scin.* Quid tandem vocas vulgus? *Bor.* Fæcem plebis: filios ſutorum, textorum, ſartorum, fullonum, & eiuſmodi artificum, atque operariorum. *Scin.* Vos hic, ut video, ex veſtra hac civitate metimini orbem univerſum: & eoſdem tota Europa exiſtimatis eſſe mores, quos hic: dico iuventutem illic eſſe frequentiſsimam principum, procerum, no-

bilium, & hominum locupletiſsimorum, non ex Gallia modo, ſed ex Germania, Italia, Britannia, Hiſpania, Belgica, admirabiliter addictam ſtudiis litterarum parentem inſtitutorum præceptis, & iuſsis; quorum mores, non ſimplici tantum admonitu formentur, ſed acri reprehenſione, cum eſt opus, etiam caſtigatione, plagis, verberibus: quæ omnia, & accipiuntur, & perferuntur animis moderatiſsimis, & vultu modeſtiſsimo. *Gab.* Audivi ſæpenumero eiuſmodi narrari mihi, cum agerem in Gallia legatus Fernandi Regis. Sed omitte, quæſo nunc iſta, aut differ aliud in tempus: vides nos eſſe in ludo miraculi, cui eſt proximum Carrocciorum 1; hoc age, de pila ſit iam ſermo, oblectandi noſtri gratia. *scin.* Amabo, ne aſsideamus, ſed deambulantes colloquamur, quæ fuerit collibitum, qua ibimus? hacne per Divi Stephani, an illac ad portam regalem, & viſemus in regia Fernandum

dum ducem Calabriæ? *Cab.* Ne forte optimi principis interpellemus ſtudia ſapientiæ. *Bor.* Præſtabit mulas accerſere, ut vehentes loquamur. *Cab.* Ne amittamus, quæſo, uſum pedum, & crurum: tempus eſt ſudum, ac ſerenum, & aura frigidiuſcula, ſatius erit pedeſtres, quam equeſtres incedere. *Bor.* Eamus hac igitur per divi Ioannis Hoſpitalis, ad vicum marinum. *Cab.* Spectabimus obiter decoras formas. *Bor.* Apage pedeſtres, erit dedecori. *Scin.* Maiori eſt mea ſententia dedecori, viros pendere de iudicio puellarum rudium, atque ineptarum. *Cab.* Viſne, ut recta eamus per plateam Ficus, & Divæ Teclæ? *Scin.* Non, ſed per vicum Tabernæ gallinaceæ; nam in eo vico cupio videre ædes, in quibus natus eſt Vives meus: ſunt enim, ut accepi, deſcendentibus ad ſiniſtram poſtremæ in vico; & inviſam eadem opera ſorores eius. *Bor.* Omitte nunc, quæſo, muliebres viſitationes, ſi mulierem

vis alloqui, eamus potius ad Angelam Zabatam, cum qua erunt confabulationes litteratæ. *Cab.* Utinam, ſi id cupitis, adeſſet Marchiona Zeneti. *Scin.* Si vera ſunt, quæ de illa, cum eſſem in Gallia, audivi, maius eſt id argumentum, quam ut de illo tractari leviter, & ab aliud agentibus vel poſsit, vel debeat. *Bor.* Aſcendemus ad divi Martini, an deſcendemus per vicum Valeſii, ad plateam Villæ-Raſæ? *Cab.* Hac, inde ad ſphæriſterium Barzii, ſeu mavis Maſconorum. *Bor.* In Gallia habetiſne ad hunc modum ludos in publico? *Scin.* De aliis Galliæ urbibus non poſſem tibi reſpondere. Lutetiæ ſcio nullum eſſe: ſed in privato multa, velut in ſuburbiis Divi Iacobi, Divi Marcelli, Divi Germani. *Cab.* Et in ipſa civitate famoſiſsimum, quod vocant Bracchæ. *Borg.* Luditur eadem illic ratione, qua hic? *Scin.* Eadem prorſum, niſi quod magiſter ludi præbet illic calceos, & pileos luſorios. *Borg.* Cuiuſmodi ſunt? *Scin.*

Cal-

Calcei ſunt coactilicii. *Borg.* Non eſſent hic utiles. *Caban.* Videlicet in via lapidoſa: in Francia vero, & Belgica luditur ſuper pavimentum lateribus conſtratum, planum, & æquabile. *Scin.* Pilei ſunt æſtate leviores, in hieme autem craſsi, profundi, cum offendice ſub mento, ne in agitatione, vel elabantur ex capite, vel decidant in oculos. *Borg.* Offendimento hic non utimur, niſi cum eſt ventus vehementior, ſed quales habent pillas? *Scin.* Nullos, fere folles, 2 ut hic: ſed ſphærulas minores veſtratibus, & multo duriores ex corio albo: tomentum eſt, non, ut in veſtris, lanugo è pannis tonſa, ſed pili fere canini: eamque ob cauſam raro luditur palma. *Borg.* Quomodo ergo percutiunt pilam? pugno, ut folles? *Scin.* Ne ſic quidem, ſed reticulo. *Borg.* Confecto ex filo? *Scin.* Ex fidibus craſsiuſculis, quales fere ſunt ſextæ 3 in teſtudine 4 habent funem tenſum, & reliqua, ut hic in ludis domeſticis: ſub fu-

nem miſiſſe globulum, vitium eſt, ſeu peccatum: ſigna ſunt bina, ſeu, mavis metas: numeri quaterni, quindecim, triginta, quadragintaquinque, ſeu antegreſsio, æqualitas numerorum: victoria, quæ eſt duplex, ut cum dicitur, vicimus ſignum, & vicimus ludum. Pila autem, vel ex volatu remittitur, vel ex primo reſultu: ex ſecundo enim, ictus eſt invalidus, & ibi fit ſignum, ubi pila eſt percuſſa. *Borg.* Non ſunt aliæ luſiones, quam ſphæræ? 5 *Sin.* In civitate, quot hic, aut plures: ſed inter ſcholaſticos nulla alia permiſſu magiſtrorum exerceatur, ſed interdum clam luditur foliis, & aciebus, pueruli talis, nequiores taxillis. Nos inſtitutorem habebamus Annæum, qui obſcœno die luſum foliorum concedebat: ſed de illo, & in univerſum de luſione omni, tulerat ſex leges, quas deſcriptas in tabella appenderat in cubiculo. *Borg.* Ne graveris, rogo te, & eas nobis referre, quemadmodum alia ſe-

feciſti. *Scin.* Pergamus deambulare. Nam incredibili teneor deſiderio patriæ adſpiciendæ, tamdiu à me non viſæ. *Borg.* Conſcendamus mulas, ut ambulemus commodius, tum etiam honeſtius. *Scin.* Honeſtatem hanc non emerim crepitu digitorum. *Borg.* Ac ne ego quidem, ut verum fatear, manum ob eam moverim: ſed neſcio quo pacto magis id videtur decere noſtras perſonas. *Cab.* Iſthuc quidem recte: ſed ſumus tres, & in anguſtis viis, aut hominum frequentia diſiungeremur: unde neceſſe eſſet, vel interrumpi ſermonem, vel multa ſemper à noſtrum aliquo non exaudiri, neque intelligi. *Borg.* Eſto ſane ita: pergamus pedeſtres: ingredere per angiportum hunc ad plateam Pegnarogiorum. *Scin.* Optime, inde per fabros claviles ad vicum dulciarium, tum ad forum fructuarium. *Borg.* Quin potius olitorium? *Scin.* Utrumque eſt: qui libentius oleribus veſcuntur vocent olitorium; qui fructibus, fructua-

rium. Quæ amplitudo fori? quæ deſcriptio vendentium, & rerum venum expoſitarum? qui odor ex fructibus? quanta varietas, mundities, nitor? non poſſunt horti excogitari huic foro pares, quæ autem ædilis noſtri, & eius miniſtrorum ſolertia, & diligentia, ne quis emptor fraude à venditore capiatur? Eſt ne ille, qui mula vehitur, Honoratus Ioannius? *Cabanil.* Non, ut arbitror: nam unus ex meis pueris, qui eum modo convenit, reliquit illum abdentem ſe in bibliothecam ſuam, qui ſi ſciret nos una eſſe, non deeſſet, haud dubie noſtro ſermoni, & noſtris ludis ſeria ſua poſthaberet. *Bor.* Profer tandem leges. *Scin.* Extricemus nos ab hac turba per plateam Divæ virginis redemptoriæ, 6 ad vicum funalis, & D. Auguſtini, ubi minor eſt frequentia. *Cabanil.* Ne diſcedamus tam procul ab urbis corpore aſcendamus potius per vicum Crumenarium ad clivum, inde ad vicum militarem, & ædes familiæ veſtræ, Scintilla,

cuius

cuius parietes lugere adhuc videntur mihi heroem illum comitem Olivanum. *Borg.* Immo luctu depoſito, talem iuvenem in tanti ſenis locum ſucceſsiſſe ſerio triumphant. *Scin.* O quam iuvat intueri curiam, & quadruplex forum præfecti urbis, quod iam fere familiæ veſtræ Cabanilliæ hæreditarium videtur, civile, criminale, & tercentum ſolidorum? quæ edificia? quæ facies urbis? *Borg.* Nunquam potes rectius leges ferre, quam in foro, & curia, æde tandem; nam de laudibus, ſeu de admiratione potius noſtræ civitatis, alias erit dicendi locus aptior. *Scin.* 7 Prima lex, quando ludendum. Homo propter res ſerias eſt conditus, non propter nugas, & luſus. Luſus autem reperti, ad reficiendum animum laſſum à ſeriis: tunc igitur ludendum, cum animus, aut corpus erit defatigatum: nec aliter ſumendum, quam ſomnus, cibus, potus, & alia, quæ vires renovant, ac reficiunt: alioqui in vitio eſt,

 quem-

quemadmodum alia, quæ non ſuo fiunt tempore. 8 Secunda lex, cum quibus ludendum. Quemadmodum facturus iter, aut iturus ad convivium, diligenter deſpicis, qui ſint futuri ſodales, aut comites: ſic in ludo animadvertendum, cum quibus ludes, ut ſint homines tibi noti, nam in ignotis magnum eſt periculum, & verum proverbium Plauti; 9 Lupus eſt homini homo, qui qualis ſit, non novit: ſint etiam belli feſtivi, comes, cum quibus periculum non ſit, ne rixeris, aut pugnes, aut aliquid, vel facias, vel dicas turpiter, atque in dedecore: ne ſint blaſphemi in Deum, aut deieratores: non in dictis ſpurci, ne quid ex contagione affricetur tuis moribus pravum, aut flagitioſum, denique ſint ii, qui non aliam ad ludum mentem afferant, quam tu, nempe, ut à labore conquieſcat, & levetur animus. 10 Tertia lex, quo ludo: primum noto: nam in ignoratione non poteſt ſubeſſe delectatio, nec

nec ludentis, nec colluſſorum, nec ſpectatorum: deinde quod ſimul animum reficiat, & corpus exerceat, ſi quidem tempus, ac valetudo patitur. Sin ſecus, ludus ſit in quo non omnia poſsit mera ſors, inſit etiam peritia, quæ poſſit caſum corrigere. 11 Quarta lex, qua ſponſione, nec nulla ſponſione, quod eſt fatuum, & celerrime exatiat: nec ita magna, quæ in ipſa luſione inquietet animum, & ſi vincaris mordeat, ac deſcruciet: non eſt is luſus, ſed carnificina. 12 Quinta lex, quemadmodum. Ut, antequam ad ludendum aſsideas, reputes te ad refocillandum animum venire, in cuius aleam coniicias pauculos nummos, hoc eſt, emas illis refectionem defatigationis, cogita eſſe ſortem, hoc eſt, variam, incertam, inſtabilem, communem: nullam idcirco tibi fieri iniuriam, ſi perdas: ut id feras æquo animo, ne contrahas vultum, & ſuffundas eum triſtitia: ne prorumpas in convicia, & maledicta, aut

adverſus colluſorem, aut quempiam ex ſpectatoribus, ſi lucrifacias, ne ſis in colluſorem inſolenter dicax: prorſum toto ludo ſis comis, hilaris, facetus, iocoſus, citra ſcurrilitatem, & petulantiam: ne des ſignificationem ullam fraudis, ſordium, aut avaritiæ: in contentione ne ſis pertinax, minime omnium iurator, memor rem illam totam (etiam ſi memeliorem cauſam habeas) non eſſe tanti, ut nomen Domini afferas in teſtimonium: ſpectatores memineris eſſe velut iudices ludi: ſi quid illi pronunciarint, cedito, nullam edens notam improbationis: hoc modo, & luſus ſit delectatio, & probi adoleſcentis grata eſt educatio ingenua. 13. Sexta lex, quamdiu ludendum. Quoad ſentias animum renovatum iam, & reparatum ad laborem, & vocat hora ad negotium ſerium. Qui ſecus faxit, improbe factum videri, velitis Quirites, iubeatis; *Borgia*, *Cabanillius* ſicuti rogavit.

*I. Car-*

*1 Carrocciorum, id eſt præſtigiatorum. 2 Folles, nos dicimus pelota de bejiga llena de ayre, muy uſada en Francia, y en Italia: con eſtas juegan à mano, y con las Eſpañolas à pala; porque no ay corazon para mas. 3 Sexta, id eſt fides craſior, vulgo bordoncillo. 4 Teſtudine ob formam, id eſt pala, vulgo raqueta. 5 Sphæra, id eſt rotunda, orbicularis. 6 Redemptoria, vulgo de la Merced. 7 1. Lex. 8 2. Lex. 9 In Aſin. Act. 2. ſc. 4. 10 3. Lex. 11 4. Lex. 12 5. Lex. 13 6 Lex.*

## CORPUS HOMINIS
### Exterius.

*Durerius pictor, Grynæus, Velius.*

D*Urerius.* Faceſsite hinc, nam vos nihil emetis, ſat ſcio; & eſtis mihi impedimento, quomi-

minus accedant emptores propius. *Gry.* Immo vero nos volumus emere, modo vel pretium relinquas noſtro arbitratui, & tempus ipſe præſcribas; aut contra, nos tempus, tu pretium. *Dur.* Bella negotiatio: mihi nihil eſt opus tricis eiuſmodi. *Gry.* Cuius eſt hæc imago, & quanti indicas? *Dur.* Imago eſt Scipionis Africani, & indico ſeſtertiis nummis quadringentis, aut non multo minoris. *Gry.* Quæſo te, priuſquam verbo uno eam addicas nobis, examinemus artem picturæ: & hic Velius eſt ſeſquiphyſicus, peritiſſimus humani corporis. *Dur.* Iamdudum intelligo me à vobis intricari, ſed interea, dum mercatores nulli adſunt, nugamini quantum libuerit. *Gry.* Nugas tu vocas peritiam artis tuæ? quid faceres alienæ? *Vel.* Primum omnium verticem contexiſti capillis multis, & planis, cum vertex dicatur quaſi vortex, à vertendis capillis: ut in fluviis videmus, cum aqua ſe convolvit. *Dur.* Inepte, non conſide-

ras.

ras eum eſſe male pexum, more illorum temporum? *Vel.* Brechma habet inæqualiter deflexum. *Dur.* Acceperat vulnus, miles ad Trebiam 2, cum ſervavit patrem. *Gry.* Ubi tu id legiſti? *Dur.* In Decadibus Titi Livii amiſsis. *Vel.* Tempora ſunt nimis tumentia. *Dur.* Cava eſſent ſignum dementiæ. *Vel.* Occipitium vellem videre. *Dur.* Verte tabulam. *Cry.* Cur dixit Cato inter cœtera oracula. Frons occipitio prior eſt? *Dur.* Quam eſtis fatui: an non in quovis homine prius cernis frontem, quam occiput? *Gry.* Quoſdam prius video averſos, quam adverſos. *Dur.* Et ego libenter, ut tales emptores, & milites. *Vel.* Cato ſenſit, præſentiam domini potiorem eſſe ad curationem rerum, quam abſentiam; cœterum, cur antias adeo longas? *Dur.* Loqueris de his caproneis? *Vel.* Etiam. *Dur.* Non habuerat multis menſibus tonſorem ad manum, velut in Hiſpania. *Vel.* Glabellam hanc cur contra ipſius verbi etymon feciſti hir-

hirtam? 3 *Dur.* Tu ipſe vulſellis 4 pilos detrahito. *Vel.* Et vibriſſas extantes extra nares, ſed tu, quæ tua eſt verſutia, culpam abs te reiicies in tonſorem. *Dur.* Inſcie, non animadvertis eos fuiſſe ætatis illius mores, ſeveros, triſtes, ruſticanos? *vel.* Imperite, non legiſti Scipionem hunc, ex omnibus ſui temporis hominibus, excultiſsimum, & politiſsimum fuiſſe, & amantem elegantiarum? *Dur.* Expreſſus eſt, cum exularet Linterni. *Gr.* Supercilium hoc eſt grande, & conveniens Latio: cilium habet nimis cavum, & genas depreſſas. *Dur.* Ex vigiliis caſtrenſibus. *Gr.* Tu non ſolum es pictor, ſed rhetor 5, valde verſatus in translatione criminum. *Dur.* Et vos, quantum intelligo, in criminationibus. *Vel.* Malas habet nimium tumentes, & buccas iſtas. *Dur.* Inflat claſsicum. *Gr.* Et tu inflabas calicem, cum hæc pingeres. *Vel.* Immo vero utrem, ſed alibi feciſti piloſum, palpebras fere nullas appinxiſti. *Dur.* Ex morbo illi de-

ci-

ciderunt. *Gry.* Quo morbo? *Dur.* Quære ab illius medico. *Gry.* Iamne intelligis ob tuam tantam imperitiam detrahi debere de ſumma centum ſeſtertios? *Dur.* Immo ob veſtras cavillationes, & interrogationes adeo moleſtas, addi ducentos oportere. *Vel.* Pupulas habet hic glaucas, atqui ego audivi cœruleas habuiſſe. *Dur.* Et ego cæſias, ut Minervam bellatricem. *Vel.* Hirquos feciſti nimium carnoſos, & ſinus humentes. *Dur.* Flebat, accuſatus à Catone. *Vel.* Mandibulæ ſunt nimis longæ, & barba denſiſsima, ac profuſiſsima: tum pilos dicas ſetas porcinas. *Dur.* Vos ſine modo ullo eſtis loquaces, & argutuli cavillatores: abite hinc nam tabulæ non fiet vobis amplius copia. *Vel.* Amabo mi Dureri, dum alios non habes licitatores, ſine nos hic cavillari. *Dur.* Qua mercede? *Vel.* Adſcribemus ambo hic ubi ſingula diſtica, quo tabula fiat vendibilior. *Dur.* Nihil opus eſt meæ arti veſtra commendatione: nam periti

emp-

emptores, & picturæ intelligentes, non emunt verius, ſed artificium. *Vel.* Sed ●ares habet nimium patulas. *Dur.* Erat iratus accuſatoribus. *Vel.* Non videmus valleculam. *Dur.* Latet ſub barba: ac ne mentum quidem cernitis, neque anthereonem. 6 *Gry.* Horum omnium feciſti tu compendium: beneficio grandis barbæ? *vel.* Collum placet mihi rectum, & muſculoſum, item iuguli. *Dur.* Gratulandum eſt ſuperis, quod tibi aliquid probatur. *Vel.* At, ne nihil in hoc quoque deſiderem, iugulos non habet ſatis cavos, quod in Socrate Phyſiognomon annotatum tardi eſſe ingenii ſignum pronunciavit, armos iſtos voluiſſem paullo erectiores, & ampliores. *Dur.* Non tam erat miles bellator, quam imperator. Non audiviſti apophtegma 7 huius: de quo cum milites quidam dicerent non adeo eum eſſe valentem militem, ac imperatorem ſapientem: is reſpondit, Imperatorem me genuit mater mea, non militem. Sed diſce-

cedite, ſi non eſtis empturi: nam video accedentes quoſdam negotiatores publicanos. *Vel.* Eamus deambulatum, & inter nos de humano colloquemur corpore; ſine Scipione, ac tabula. Simus naſus non decet generoſam faciem. *Gry.* Quid boſimus, quales fuerunt Hunni? *Vel.* Apage monſtra. *Gry.* Silones non ſunt minus deformes. Perſæ aquilos venerabantur, propter Cyrum, quem ferunt ea fuiſſe forma. *Vel.* Ancon, & campæ ſunt in brachio, quod in crure poples: & genu, lacertus inde uſque ad manum à cuius muſculis etiam crura dicuntur lacertoſa. *Gry.* Nonne is eſt cubitus, ut apud menſores? *Vel.* Eſt is quidem cubitus, & ancon ipſe cubitus. *Gry.* Unde ergo rex Romanus Ancus? *Vel.* Ab incurvo cubito. *Gry.* Manus ſequitur maximum omnium inſtrumentorum, ſecta in digitos, pollicem, indicem, medium, ſive infamem, minimo proximum, minimum. *Vel.* Cur medius infamis? quid deſig-

ſignavit flagitii ? *Gry.* Inſtitutor noſter dixit, ſe quidem ſcire cauſam, nolle tamen ediſſerere, quod eſſet turpis. Ne quæſieris igitur: non enim decet bonæ indolis adoleſcentes turpia ſcrutari. *Vel.* Atqui minimo proximum *Dactilycon* Græci appellant, quaſi anularem. *Gr.* Ita plane: ſed in ſiniſtra, non dextra, quod in eo ſoliti eſſent olim anulos geſtare. *Vel.* Qua de cauſa ? *Gr.* Aiunt à corde protendi illuc venam, quæ cum anulo redimitur, velut cor ipſum coronatur. Nodi digitorum ſunt condyli, & pro pugni percuſſu vox ea uſurpatur: inter nodos ſunt internodia, & generali verbo artus, atque articuli. Tiberium Cæſarem 8 memoriæ produnt tam firmis fuiſſe digitorum articulis, ut digito recens malum terebraret. *Vel.* Didiciſti chiromantiam? *Gr.* Nomen quidem ipſum audieram. Quid ita? *vel.* Divinaſſes hic nobis aliquid ex inciſuris. *Gr.* Negavi me ſcire: & res ſic habet: ſed, ſi nunc me noſſe aliquid pro-

fi-

ſiterer, & attentius manum tuam contemplarer, libenter me euſcultares, & homini, eiuſce impoſturæ imperitiſsimo, fidem non omnino abrogares. *Vel.* Qui ſic? *Gr.* Quia id eſt hominum ingenium, ut libenter eos audiant, qui ſe recondita, vel eventura profitentur enunciaturos. *Vel.* Unde ſunt ſcevolæ? *Gr.* Quaſi ſcæve 9 à ſcæa, quæ eſt ſiniſtra. Aiunt in ſexu fœmineo eſſe ſcævas plures, quam in noſtro. *Vel.* Quæ eſt Vola? *Gr.* Cavum manus, ubi inciſuræ. *Vel.* Quid involare? *Gr.* Id quod tu agis: libenter furari, ſurripere, quaſi vola abſcondere: & quod rabioſa Lucretia, involare in oculos pediſſequarum. Reliquum corpus, dempto capite, eſt truncus, & ex trunco thorax, concavum pectoris uſque ad ventriculum, & coſtas: concavum quidem interius: nam exterius, inter brachia, & pectus ſinus eſt. Sub ventriculo eſt venter, & in ventre immo pecten, & pudenda. *Vel.* An non pudendus magis

gis prodex, ſive anus. *Gry.* Utrumque pudendum: poſterius ob turpitudinem, anterius ob flagitium, & dedecus. Femur, & ut olim loquebantur, femem nunc malunt plurative femina: à genu eſt crus, cuius os tibia dicitur: carnoſum vero illud poſterius, ſura: poſtremo pes manui non abſimilis: nam & digitos habet, & volam, quæ veſtigium dicitur, & ſolum pedis. *Vel.* Quid num non veſtigium quod à pede imprimitur? *Gry.* Et illud ipſum: & ſolum pedis. *Vel.* Noſtin, quæ ſint in corpore virtutum ſedes? *Gry.* Quæ tandem. *Vel.* In fronte pudor, in dextra fides, in genu miſericordia. *Gry.* Planta pedis non eſt ipſum ſolum pedis? *Vel.* At ſic putant multi. *Gry.* 10 Atqui Plinius ſcribit, eſſe gentem, quæ ſibi umbram faciat in meridie planta pedis, quam habent vaſtam admodum, atque enormem: qui fieri id poteſt? *Vel.* Profecto planta eſt, à cruris vertebra ad digitos.

1 *Tricis, id eſt rebus parvi momenti, vulgo mamola, embuſte.* 2 *Plutar. in Annib. & in Scip.* 3 *Hirtus, idem quod hirſutus, ſive piloſus.* 4 *Vulſellæ: vulgo tenacillas, para rizar el pelo.* 5 *Rhetor, vulgo caleſero.* 6 *Anthereo: vulgo el pelo de debajo la barba.* 7 *Aphot.* 8 *Suetonius in Tib.* 68. 9 *Scæva dicitur, qui vel quæ ſiniſtra manu utitur pro dextera.* 10 *Inde dicuntur Sciopodac. vide li.* 7. *c.* 2.

## EDUCATIO.

1 * *Flexibulus, Grympharantes, Gorgopas.*

FLexib. Quanam gratia miſit te huc ad me pater tuus? *Gry.* Dixit, te eſſe hominem egregie inſtitutum, ſapienter educatum: eaque de cauſa, gratum huic civitati: cupere ſe, ut ego eiſdem, qui-

quibus tu veſtigiis inſiſtens, perveniam ad ſimilem favorem populi. *Fle.* Quomodo igitur te id aſſecuturum cenſes? *Gry.* Ingenua educatione, quali te omnes prædicant eſſe præditum. Adiecit pater, eam educationem magis decere me, quam alium quemvis. *Fle.* Cedo, mi fili, quomodo ea in re venis à patre imbutus? *Gry.* Non tam me pater præceptis inſtruxit, quam patruus quidem meus, vir ſenex verſatus multum, & diu in regum comitatibus. *Fle.* Quid ergo illi te docuerunt, mi fili, & amice? *Gorg.* Vide, vir prudentiſsime, ne fortaſſe per ignorantiam labaris in dictum aliquod, aut factum ſtultum, vel ruſticanum, unde amittas iſtud nomen optime educati. *Fle.* Quid? tam leviterne apud vos perit? *Gorg.* Vel unica vocula, unico flexu poplitis; unica inclinatione capitis. *Fle.* Nimis eſt inter vos delicatum, & infirmum; inter nos enim multo eſt robuſtius, & firmius. *Gorg.* Sic ſunt noſtra judicia, ut noſtra corpora,

pora,

pora, quæ nullam ferunt offenſionem. *Fle.* Immo, ut eſt videre, facilius ferunt corpora, quàm animi. *Gorg.* Fortaſſe tu non noſti hunc, ideo filium, & amicum nominas. *Fle.* An non ſunt hæc honeſta nomina, & plena benevolentiæ. *Gorg.* Benevolentiæ credo, quam nos haud magni ſane facimus, ſed non reverentiæ, neque officii, quæ nos anxie venamur: nam hic dominus ſolet appellitari, non amicus. An non animadvertis domini præfationem ante prænomen, & famulos verſicolores? non annotaſti in avi huius ſolemnibus parentalibus tot cereos, tot inſignia, tot homines attratos? *Fle.* Quid ergo? affectas tu omnibus eſſe dominus, nulli amicus? *Gry.* Ita docuerunt me propinqui mei. *Fle.* Edat iam, mi domine, tua excellentia præclara illa tuorum conſanguineorum documenta. *Gor.* Videris tu mihi puerum hunc naſo ſuſpendere, at non eſt quilibet, ne feceris. *Gr.* Primum eſſe me ex honeſtiſsima progenie,

quæ nulli cedat per univerſam hanc provinciam: idcirco curandum mihi diligenter, atque adnitendum, ne degenerem à maiorum meorum virtute: illos paraſſe ſibi magnum decus, nemini concedendo de loco, de dignitate, de auctoritate, de appellatione: me idem debere facere. Si quis quid velit de honore detrahere, pugnandum ſtatim cum eo: de pecunia oportere eſſe largum, atque adeo profuſum; in honore adſtrictum, & attentum; decere nihilominus, me ac mei ſimiles aſſurgere aliis, via cedere, ducere, reducere, nudare caput, poplitem incurvare: non quod alius quiſpiam id mereatur à me ſibi exhiberi, ſed, quod ſic conciliabo mihi favorem hominum; captabo auram popularem, & parabo illum, quem tantopere geſtamus ſemper in ore, & in corde, honorem: in ea educatione ſitum eſſe diſcrimen nobilis, & ignobilis, quod nobilis ad illa omnia dextere præſtanda inſtitutus eſt,
at-

atque aſſuefactus : ignobilis agreſti more nihil illorum doctus eſt facere. *Fle.* Et excellentiæ tuæ, domine, qualis videtur eiuſmodi inſtitutio? *Gry.* Qualis vero? niſi multo optima, & digna meo genere. *Fle.* Quid ergo eſt aliud, quod à me requiras? *Gry.* Nihil plane reſtaret mea ſententia, niſi acceſsiſſet voluntas patris, qui iuſſit prorſum, ſeu verius imperavit rigide, ut ad te venirem: ut, ſi quid in hac educatione noſſes magis reconditum, & quaſi myſterium ſacratius, quod maius mihi decus acquirerem, in gratiam ſui ne gravareris exponere, quo familia noſtra, alioqui honeſtiſsima, & celſiſsima, altius aſcenderet, quoniam ſunt non pauci novi homines, qui, freti ſua opulentia, nactique dignitatem, & honores, per divitias emerſerunt, adeo, ut etiam audeant eum vetuſtate, & decoribus gentis noſtræ contendere. *Fle.* Facinus nefandum. *Gr.* Nonne? *Fle.* Vel cæco eſſet clarum. *Gr.* Itaque novi illi homines

ambulant comitati longo aſſecla-rum ordine, ipſi ſegmentati in veſtibus, vel bombycini, villoſi, interciſi, vel texti Attalici, ut nos nihil eſſe præ illis videamur, qui villato 2 veſtimur, diſsimulandæ paupertatis gratia. Præmium autem huius tui laboris, ſi operam hanc navaris patri, erit, recipi in numerum noſtræ familiæ, & admitti ad illius gratiam, & meam, ut, procedente tempore, aliquod à nobis accipias beneficium, ſiſque ſemper in noſtra clientela, & quaſi tutela. *Fle.* Quid poteſt dici amplius, aut optabilius? Sed cedo iam: ſi aperias caput, ac cedas via, & loco, appelles blande, quam ob cauſam eris gratus iis, quibuſcum verſabere? *Gr.* Ob eam ipſam cauſam, quia hæc ago. *Fle.* Iſtæc omnia exteriora ſunt ſolum ſigna, quæ denotant aliquid eſſe in animo tuo, propter quod diligare: nam ipſa per ſe nemo diligit. *Gr.* Quid ni diligant omnes quæ ſunt honeſtæ converſationis, in mea præſertim nobilitate?

*Fle.*

*Fle.* Parum admodum es progreſſus, quod liceat inter nos dicere: & tu te perveniſſe iam arbitraris ad ſummum. *Gry.* Nihil neceſſe habeo parare mihi litteras, atque eruditionem; maiores mei reliquerunt mihi, unde vivam: quod etiam ſi deſit, non iſtis eſt mihi artibus quærendum, tam ignobilibus: ſed haſtæ cuſpide, & enſe diſtricto. *Fle.* Animoſe iſtuc quidem, & ferociter, quaſi vero quia es nobilis, non ſis futurus homo. *Gry.* Bona verba. *Fle.* Ecqua tandem parte tui es homo? *Gry.* Me toto. *Fle.* An corpore, quo non differs à belluis? *Gry.* Minime. *Fle.* Non ergo te toto ratione igitur, & mente. *Gry.* Quid ni? *Fle.* Si hanc ergo ſinis incultam, & ſylveſtrem, excolis autem corpus, & illi uni ſtudes, an non tranſis ab humana in ferinam conditionem? Sed ad id, de quo cœperamus loqui: nam hæc digreſsio, ſi vellem mihi indulgere, longiſsime nos à propoſito adduceret. Verum cum tu cedis de via, & nudas ca-

put, qualem te eſſe alii exiſtimant? *Gry.* Nobilem, & generoſe informatum, atque inſtitutum. *Fle.* Nimium durus es: nihilne domi audiviſti de animo, de probitate, de modeſtia, de moderatione? *Gry.* In templo, nonnunquam audivi de concionatoribus. *Fle.* Cum illa abs te vident occurrentes fieri, iudicant te eſſe adoleſcentem modeſtum, probum, bene de ipſis iudicantem, de te autem moderate, qua ex opinione naſcitur benevolentia, & favor. *Gry.* Explicatius id, quæſo. *Fle.* Huc pertinet mea ratio: ſi te homines exiſtimarent adeo ſuperbum, ut ſi omnes contemneres præ te, nudare tamen caput, & genuflectere, non quod ipſis is honor debeatur, ſed quòd te deceat: putas te ullum fore, qui tibi haberet gratiam, aut te de honoris illa falſa ſimulatione diligeret? *Gr.* Quid ni? *Fle.* Quia id tu tibi præſtas, & tua gratia facis, non illorum: quis enim iudicabit ſe devinctum tibi de eo, quod pro

te

te ipſo feceris, non pro ſe? an ego honorem eum velut mihi impenſum accipiam, quem tu tribuis opinioni de te, non meis meritis? *Gr.* Ita videtur. *Fle.* Ergo paratur benevolentia, ſi illi credant ſibi honorem illum dari, non ut tu habearis comior, ac nobilior: iſtud vero non fiet, niſi eam de te induant opinionem, quod tu illos eſſe potiores ducas te, & dignos quibus tu concedas. *Gorg.* At non eſt ita tamen. *Fle.* Quantumcumque hoc ſit falſum, in eo tamen neceſſe eſt eos falli, alioqui numquam conſequeris, quod tantopere expetis. *Gr.* Quæ igitur erit perſuadendi via? *Fle.* Facilis, modo animum ſedulo advertas. *Gr.* Profer, quæſo, nam ea de cauſa huc ſum miſſus, & eris ſemper in noſtra clientela. *Fle.* Nimis crudum eſt hoc pomum. *Gr.* Quid tu muſſas? *Fle.* Dico viam eſſe unicam: ſi ſis talis, qualem te credi cupis. *Gr.* Qui iſtuc? *Fle.* Si vis aliquid calfacere, affers fictum ignem? *Gr.* Non, ſed verum.

*Fle.* Si ſcindere, an pictum in tela gladium? *Gr.* Non, ſed ferreum. *Fle.* Non eſt igitur eadem vis rerum verarum, quæ fictarum? *Gry.* Apparet non eſſe. *Fle.* Nec tu idem efficies ſimulata moderatione, quod vera: nam falſa ipſa ſe aliquando produnt: vera ſemper ſunt eadem. In ficta moderatione aliquid aliquando dices, aut facies publice, aut privatim, cum tibi excides, (neque enim ſemper te, & ubique poteris obſervare) unde fictus deprehendaris; & quantum prius ignotus diligebare, tantum poſtea cognitus ſis odio, & longe plus. *Gr.* Quomodo ego mihi ipſe indicam germanam illam animi moderationem, quam tu præcipis? *Fle.* Si perſuaſeris tibi, id quod res habet, alios eſſe meliores te. *Gorg.* Meliores vero? ubi tandem? in cœlo, credo: nam in terra pares ſunt paucisſimi, melior nemo. *Gr.* Sic audivi ſæpe de patre, & patruo. *Fle.* Multum abducit vos à cogitatione veri, nominum ignorantia. Quid tu vocas

ho-

bonum ? ut ſciamus, num ſit aliquis te melior. *Gr.* Quid ego ſcio, quid ſit bonum ? ex bonis eſſe progenitum. *Fle.* Ignoras etiam num, quid ſit BONUM : & iam tenes, quid ſit. *Mel.* Quomodo perveniſti ad comparativa, cum nondum poſitiva didiceris ? ipſos autem tuos progenitores quomodo ſcis fuiſſe bonos ? qua tu id nota cognoſcis ? *Gr.* Quid ? negas tu fuiſſe illos bonos ? *Fle.* Non novi illos, quomodo de illorum bonitate poſſum aliquid in alterutram partem ſtatuere ? quæro modo qua ratione aſſequaris tu fuiſſe illos bonos ? *Gr.* Quia ita omnes prædicant, ſed quorſum, rogo te, pertinent tam moleſtæ interrogationes ? *Fle.* Non ſunt moleſtæ, ſed neceſſariæ, ut accipias, quod ex me ſciſcitaris. *Gr.* Confer, quæſo te, in pauca. *Fle.* Multis eſſet id explicandum, cuius tam craſſa ignorantia involveris: ſed, quando ita es faſtidioſus, dicam brevius, quam res tanta dici poſtulat: defige iam oculos tuos in me, dum diſſero. Qui ſunt dicendi eru-

diti? an non ii, qui habent eruditionem? qui opulenti? an non qui habent opes? *Gr.* Indubie. *Fle.* Quid ergo boni? num non ii demum, qui habent bona? *Gr.* Ita plane. *Flex.* Miſſas nunc divitias faciamus, quæ non ſunt vera bona: quæ ſi eſſent, multi patre tuo invenirentur meliores, & negotiatores, ac fœneratores præſtarent bonitate viros bonos, & ſapientes. *Gr.* Sic videtur, ut dicis. *Flex.* Expende ergo attente, ac diligenter ſingula eorum, quæ referam: an non eſt bonum, acutum ingenium, ſagax, maturum iudicium, integrum, ſanum, tum eruditio varia, & magnarum rerum, atque utilium prudentia, exercitatio in rebus præſtantibus, conſilium, dexteritas in exequendis negotiis: quid tu de iſtis? *Gr.* Vel ſola nomina videntur mihi pulchra profecto, & magnifica, quanto magis res ipſæ? *Flex.* Age porro quid ſapientia, quid religio, pietas in Deum, in patriam, parentes, neceſſarios, iuſtitia, temperantia, liberalitas, magnanimitas, contemptus caſuum hu-

ma-

manorum, & fortis animus in adverſis: quid vero iſta? *Gr.* Præſtantiſsima etiam hæc. *Flex.* Hæc ſola ſunt hominis bona: nam reliqua omnia, quæ commemorari poſsint, bonis, & malis ſunt communia, atque ea de cauſa nec bona: quæſo manda ſedulo memoriæ. *Gr.* Faciam. *Flex.* Pervelim: nam ingenium tuum non malum eſt, ſed non bene excultum. Reputa igitur cum animo tuo, an tu hæc habeas: & ſi habes, quam pauca, & ea quam tenuiter, quod ubi examinaveris acute, ac ſubtiliter, intelliges tum demum, te non magnis, nec multis eſſe bonis ornatum, ac inſtructum, nec eſſe in populo, qui pauciora habeat, quam tu. Nam in multitudine alii ſunt ſenes, viderunt, atque audierunt multa, habent experimenta rerum plurimarum: alii ſtudioſi, qui ingenium diſcendo exacuunt, & expoliunt: alii capeſſunt Rempublicam; alii libenter, & diligenter verſant ſcriptores profuturos: alii ſunt ſeduli patres familias: alii alias artes profi-

ſitentur, & præſtant: vel ipſi agricolæ, quam multa ex arcanis naturæ tenent? nautæ vero, curſum dierum, & noctium, naturam ventorum, poſitus terrarum, & maris: alii ex multitudine ſunt viri ſacri, & religioſi, qui numen pie venerantur, ac colunt: alii res proſperas moderate rexerunt, & fortiter pertulerunt adverſas: quid horum tu noſti? quid exerces? quid præſtas? nihil omnino, præterquam illud:

*Nemo eſt melior me, bono ſum genere natus.*

Qui potes eſſe melior, qui nondum es bonus? nec pater tuus, nec avi tui, aut proavi fuerunt boni, niſi hæc habuerunt, quæ recenſui: quæ an habuerint, tu videris: ego multum dubito. Sed ſi habuerunt, tu certe non eris bonus, niſi illorum fias ſimilis. *Gr.* Plane terruiſti, & pudefeciſti me: non invenio quod poſſim, vel hiſcere in contrarium. *Gr.* Nihil horum intellexi, tenebras mihi offudiſti ante oculos. *Fle.* Nimirum venis ad hæc nimis durus, &

